IN

BREVIARIUM ROMANUM

Sac. Doct. ÆMILIUS FERRAIS

LITURGIA
DIVINI OFFICII

JUXTA NOVISSIMA S. SEDIS DECRETA



VERONÆ
Sumptibus **FELICIS CINQUETTI**
Bibliopolæ Editoris Pontificii
MCMV

Ex Tip. Ep. G. Marchiori

BARTHOLOMÆUS

TITULI S. BARTHOLOMÆI IN INSULA

S. R. E. Presbyter Cardinalis BACILIERI

Dei et Sanctæ Apostolicæ Sedis Gratia

Episcopus Veronensis

Opus inscriptum **LITURGIA DIVINI OFFICII**, a dilecto filio Nostro Sac. ÆMILIO FERRAIS, in isto Episcopali Seminario Juris Canonici et S. Liturgiæ Professore, nuper compositum, alius ejusdem Seminarii Nostri Præceptor, idemque rerum liturgicarum peritissimus, Canonicus Jo. BAPTISTA PIGHI, post sedulum examen, et materiæ amplitudine et methodi claritate præstans, ideoque tum Clericorum, tum Sacerdotum studio perutile judicavit.

Libentissime igitur ut typis in publicum edatur permittimus, ejusque studium Clericis et Sacerdotibus omnibus hujus Nostræ Diœcesis enixe commendamus, ut digne, attente ac devote publico munere septies in die laudem dicendi Deo perfungi valeant.

Veronæ ex Ædibus Episcopalibus
Kalendis Octobris A. MCMIV.

✠ Card. B. BACILIERI Episc.

PRÆFATIO

Cum tractatione de Sacrosancto Missæ Sacrificio arcte connectitur tractatio de Divino Officio; utroque enim tam sancto munere Deum, Ejusque mysteria atque Cœlites a suis Ministris quotidie coli Ecclesia voluit. Aequum igitur erat, ut, edita jam Liturgia Missæ, *quod duobus abhinc annis præstiti, etiam quæ Divinum Officium spectant conscriberem et publici juris facerem. Hoc quidem, Deo adjuvante, absolvere mihi datum est, præsenti opere, cui titulum confero*: Liturgia Divini Officii.

Quum vero non doctis et peritis scientiæ liturgicæ scripserim, sed potius Clericis, qui primo hac disciplina instituuntur, nil mirum multa desiderari ab iis qui hanc rem optime callent. Sed illa omittere vel tantum attingere, ad faciliorem elementorum, quæ in scholis traduntur, acquisitionem plurimum conferre, experientia comperi; sperandum enim est tirones serius universæ liturgicæ disciplinæ studio mentem suam esse addicturos.

Magis fui sollicitus in ordine materiæ imprimendo, qui rerum claritati et perceptioni multum prodest; necnon in conferendis tum reformatis Bre-

viarii Romani Rubricis, tum S. Rituum Congregationis authenticis Decretis, tum recentiorum Liturgistarum sententiis, quod valde dictis auctoritatem parit.

Utile futurum hoc alterum meum opus, mens est illustrissimi Canonici et Professoris Jo. Baptæ Pighi, cujus examini illud subjici voluit Eminentissimus Episcopus, et tanti viri sententiæ libenter aquiesco; at simul lectorum maximæ indulgentiæ ipsum committere volo.

Veronæ. In festo SS. Rosarii B. M. V., anno 1904, quo Deiparæ Immaculatæ Conceptionis quinquagesimum a definito dogmate anniversarium solemniter celebratur.

Sac. ÆMILIUS FERRAIS.

TITULUS I.

DE BREVIARIO ROMANO

CAPUT I.

De Breviario ejusque materia.

1. Ingenitum est sacerdotii naturæ, quod ab eo preces jugiter Deo fundantur, ut officiis, quibus singuli devinciuntur homines erga supremum rerum Dominum, satis, quo magis licet, fiat et petitiones auxiliorum, quibus cuncti indigent, Deo exhibeantur ab iis, qui propius eidem inserviunt. Quare testatur historia nullum unquam extitisse, vel inter ethnicas gentes, sacerdotium, cui pro omnibus precandi non fuerit concredita cura, onus impositum.

Hoc quidem longe nobiliori simulque efficaciori modo præstat sacerdotium a Christo Jesu institutum, quod ipse Redemptor noster « semper vivens ad interpellandum pro nobis [1] » sibi associavit in munere offerendi Deo preces supplicationesque pro populo, ad opus salutis æternæ perficiendum.

2. Factum quod spectat, e sacris Litteris et priorum scriptoribus sæculorum edocemur consuetum fuisse, ab Ecclesiæ incunabulis, laudes Deo

1) *Hebr. VII. 25.*

offerri per psalmos et hymnos, communi voce recitatos a fidelibus una cum clero adunatis, sive in Oratoriis, sive in privatis ædibus, idque statutis etiam horis, seu tertia, sexta et nona, fieri [1]. Illius autem, sive Presbyter esset, sive Episcopus, qui præsidebat conventui, erat determinare quinam psalmi et hymni canerentur.

Hinc varietas psalmodiæ in Ecclesia. Quam varietatem nequaquam abstulerunt formæ speciales, quæ determinatæ fuerunt prius in Ordinibus monasticis, dein in religiosis S. Dominici et S. Francisci, ac demum in choris etiam Clericorum sæcularium.

Uniformitatem sacræ psalmodiæ pro universa Ecclesia inducere conati sunt RR. Pontifices, eam reformando et abbreviando, atque ejusdem recitationem suadendo. Præstiterunt hac in re Gregorius IX., Nicolaus III., Clemens VII., Paulus IV. et Pius IV.

3. Verum, ut, quod cordi maxime erat supremis Ecclesiæ Pastoribus, non tam facile negotium absolveretur, lex erat statuenda, qua unica psalmodiæ forma omnibus præciperetur. Et S. Pius V. P. M., qui Missalis quoque unitatem induxit [2], etiam Breviarii curavit unitatem, et hoc edidit suo Brevi « *Quod a Nobis* » die 7 Julii 1568, sub nomine *Breviarii Romani*.

Dein Clemens VIII. P. M., quum Breviarium a S. Pio V. editum, progressu temporis, in multis depravatum comperisset, illud per pios et eruditos

1) Cf. *I. Corinth. XIV. 26. Ephes V. 19.* **Tertullianus** *L. II. ad uxor. et de Orat.* **Justinus**. *Apolog. I.* N. 67. Cf. etiam *Ad Cor. II. 15; X. 9, 30.*
2) Cf. *Liturgia Missæ, n. 1.*

viros examini subjecit et in statum pristinum restituit, sicque restitutum in Typographia Vaticana imprimi ac divulgari jussit Brevi « *Cum Ecclesia* » die 10 Maji 1602.

Urbanus VIII. P. M. pariter denuo examinavit Breviarum Romanum et a pluribus, quæ irrepserant, mendis expurgavit; hymnos ad metri et latinitatis regulas revocavit; in psalmis et canticis interpunctionem vulgatæ editionis restituit; sermones, homilias et Sanctorum historias, collatis veteribus manuscriptis, recognovit, prout constat ex Brevi « *Divinam Psalmodiam* » dato die 25 Januarii 1631.

Tandem Leo XIII. P. M., pluribus mutatis Rubricis, nonnullis reformatis Sanctorum historicis lectionibus, novis etiam adjectis Officiis, recentiorem confici jussit editionem Breviarii anno 1885, qua modo, cum variationibus anno 1897 insertis, utimur, et quam sequimur in hoc opere conscribendo.

Quare Breviarium, quod impræsentiarum adhibetur, inscriptum legimus: *Breviarium Romanum ex decreto SS. Concilii Tridentini restitutum, S. Pii V. P. M. jussu editum, Clementis VIII. Urbani VIII. et Leonis XIII. auctoritate recognitum.*

4. Est igitur Breviarium Romanum : Liber Apostolica auctoritate editus, continens psalmos, hymnos, lectiones, aliasque preces, ad onus Officii persolvendum ab illis quibus est impositum, pro diversis anni temporibus et singulis diebus.

Attamen inseri solent psalmi graduales et pœnitentiales cum Litaniis Sanctorum, ordo commendationis animæ, formula ad impertiendam indulgentiam plenariam in articulo mortis, benedictio mensæ et itinerarium Clericorum.

Ratio autem nominis inde repetenda est, quod Breviarium sit *breve orarium* (ab *orare*), vel *res abbreviata*, seu compendium eorum, quæ in sacris Litteris utriusque testamenti, in Ss. Patrum monumentis et actis Sanctorum continentur, quæque orando legimus [1].

CAPUT II.

De auctoritate Breviarii Romani.

5. Ex Brevibus simul collatis, quæ ab initio leguntur Breviarii Romani, et quibus hujus authenticæ editiones publicari jubentur, constat: 1. antiquiora Breviaria fuisse suppressa; permissiones autem, consuetudines, statuta, privilegia et indulta precandi et psallendi more et ritu illorum revocata esse; 2. Breviarium Romanum, a Summis Pontificibus editum, in toto orbe ex præcepto esse observandum, nihil in eo esse mutandum, addendum et detrahendum [2], et quoscumque obligare, qui tenentur Horas canonicas persolvere, secus eos non satisfacturos oneri suo [3]; 3. ab omnibus Prælatis esse

1) Dicunt etiam Breviarium ita vocari cœpisse ex quo Gregorius IX. concessit Franciscalibus usum novi Officii, quod erat antiqui abbrevatio. Cf. **Lapini** *Istituzioni Liturgiche Lez. XXXVI.*

2) Leo XIII. sua Const. « *Officiorum* » 25 Jan. 1896, sub num. 18, prohibitas declaravit novas editiones librorum liturgicorum a S. Sede approbatorum, in quibus quidquam aliquis immutaverit.

3) Quare qui Breviario Romano, ad quod recitandum tenetur, caret, certo non obligatur ad Officium dicendum ex alio Breviario non adprobato, et forte ne quidem ex alio inter adprobata, v. g. Ambrosiano, Benedictino, etc. Cf. **Ballerini.** *Opus Theol. Mor. Tr. IX. C. II. n. 212.*

introducendum tam in choro, quam extra chorum; 4. nova exemplaria edi non posse, nisi juxta exemplar Vaticanum et habita Ordinariorum licentia, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; cujus licentiæ copia initio vel in calce cujusque exemplaris imprimi debet [1].

6. Verum S. Pius V. excipi voluit a suppressione a se facta Breviaria illa, quæ, ex institutione, vel usu, excedebant biscentum annos. Sed et hæc in novum Breviarium Romanum, consentiente Episcopo cum universo suo Capitulo, commutari expresse permisit.

Intelligitur etiam posse RR. Pontifices Breviaria a Romano diversa quandocumque adprobare et particularibus Ecclesiis, vel personis concedere.

Quum autem non desierint ipsi Pontifices urgere obligationem legis Pianæ et etiam nunc urgeant, manifestum est nullam contrariam consuetudinem valuisse aut valere contra id quod lex ipsa disponit [2].

7. Rubricas quod spectat Breviarii Romani, sive generales, quæ illi præficiuntur, sive particulares in corpore insertas, generatim eas esse plus minusve præceptivas solet admitti. Directivæ habentur, in recitatione quæ fit extra chorum, illæ quæ situm corporis, vel signa crucis respiciunt [3].

Ceterum, hæc magis intersunt ordinatorum Calendarii, quippe qui, juxta regulas a Rubricis in-

1) Cf. etiam S. R. C. 3 Mart. 1674, n. 1502, ad I.; 7 Apr. 1832, n. 2692; Decr. Gener. 26 Apr. 1834, n. 2716.

2) Cf. **Bouix**. *De jure liturgico. P. IV. C. II. § 3. prop. 6.* Intelligitur hoc de consuetudine, quam certo scimus post Bullam Pii V. inductam.

3) Cf. **Gury**. *Comp. Theol. Mor. Vol. II. nn. 71, 80.* S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, ad XLI.

dicatas, Officia recitanda pro singulis diebus debent disponere, dum alii Calendario proposito se conformare tenentur, quousque non appareat error, qui sit evidens, licet probabilius judicent Calendarium errare [1].

CAPUT III.

De Breviarii partibus.

8. Breviarium Romanum, pro quatuor temporibus, in quæ annus ecclesiasticus dividitur, in quatuor distribuitur partes, quæ sunt: Pars *hiemalis*, a Dominica I. Adventus ad Dominicam I. Quadragesimæ; pars *verna*, a Dominica I. Quadragesimæ ad Dominicam SS. Trinitatis; pars *æstiva*, a Dominica SS. Trinitatis ad Dominicam I. Septembris; pars *autumnalis*, ab hac Dominica ad Adventum.

Aliquando in totidem volumina distincta quatuor istæ partes distribuuntur; aliquando eas continet unicum volumen, quod vocari solet *Totum*.

Sed Horæ minores, una cum Laudibus, Vesperis et Completorio, seorsim quoque evulgantur, unico libro, qui nuncupatur *Diurnale*, vel *Horæ Diurnæ* Breviarii Romani, cujus nominis ratio infra patebit (cf. n. 15).

9. Singulæ ex prædictis quatuor partibus in quinque alias subdividuntur, quibus Brevia Pontificia, tabellæ temporariæ cum Calendario perpetuo et Rubricæ generales præmittuntur.

Prima pars inscribitur: *Psalterium*, et continet psalmos distributos per dies infra hebdomadam, pro singulis Horis canonicis.

1) S. R. C. 13 Iunii 1899, n. 4031, ad V.

Secunda pars titulum habet: *Proprium de tempore*, et comprehendit lectiones dominicales et feriales, quæ, cum adjectis responsoriis, dicuntur in Matutino per annum; insuper alia refert, quæ spectant ad Officia de Dominicis, de feriis et de nonnullis mysteriis.

Tertia pars est: *Proprium Sanctorum*, et Officia continet, quæ sunt Sanctorum et quorumdam mysteriorum propria, incipiendo a die XXIX. Novembris, quæ proximior esse solet Dominicæ I. Adventus, a qua ecclesiasticus annus habet initium.

Quarta pars dicitur: *Commune Sanctorum*, et in ea reperiuntur Officia, quæ Sancto cuicumque, proprium non habenti, communia sunt, prout agitur de Apostolis, vel Evangelistis; de uno, vel pluribus Martyribus; de Confessore, sive Pontifice, sive Doctore, sive non Pontifice; de Virgine, vel non Virgine, sive Martyre, sive non. Accedunt Officia in Dedicatione Ecclesiæ, in festis B. Mariæ V., de eadem B. Maria V. in Sabbato, tum parvum ejusdem, et Officium Defunctorum.

Quinta pars exhibet Officia sex votiva concessa a Leone XIII. P. M. anno 1883, pro diversis diebus hebdomadæ, scilicet: de Ss. Angelis, de Ss. Apostolis (Romæ, de Ss. Apostolis Petro et Paulo), de S. Joseph, de SS. Eucharistiæ Sacramento, de Passione D. N. J. C. et de Immaculata Conceptione B. Mariæ V. Item ea Officia, quæ pro aliquibus tantum locis sunt concessa.

Additur Appendix habens Officia pro singulis Diœcesibus adsignata.

In quarta parte, post Officium Defunctorum, quædam inseruntur, quæ sunt extra ordinem Officiorum, prout innuimus n. 4.

10. Exstat et alius liber, dictus *Octavarium Ro-*

manum, complectens lectiones in Matutino recitandas infra octavas Sanctorum, quæ in Breviario non continentur, utpote particulares locorum.

Hujusmodi Octavarium imprimi potest seorsim a Breviario, at ejusdem usus, quamvis commendatus, præceptus tamen non est dicendus [1].

Persæpe particularia quædam Officia in distinctis libris imprimi videmus, ut v. g. quæ propria sunt Majoris Hebdomadæ, Officia votiva, Officia festorum solemniorum, Officia Defunctorum, etc. Et hi libri vulgari permittuntur, dummodo conditiones serventur, quæ pro integro Breviario edendo præscriptæ sunt (cf. n. 5).

1) **De Herdt**. *S. Liturg. Praxis. T. II. n. 248.*

TITULUS II.

DE DIVINO OFFICIO IN GENERE

CAPUT I.

De notione, nomine et excellentia Divini Officii.

11. Divinum Officium potest cum S. Thoma definiri: Oratio communis, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius populi fidelis Deo offertur [1].

Dicitur: 1.° *Oratio*, quia precibus maxime constat. Sunt et laudes Dei, vel Sanctorum, piæque sacræ Scripturæ lectiones, quæ nomine veniunt orationis, sive quia mentem elevant ad Deum, sive quia Deo, ceu actus cultus, offeruntur, ad impetranda populo fideli ejus beneficia.

2.° *Oratio communis*, quum nomine totius communitatis christianæ, eâque, ut olim frequentior erat usus, participante, recitetur; quo etiam innuitur hanc orationem esse debere vocalem.

3.° *Per ministros Ecclesiæ*, nam, licet olim fideles ad simul orandum cum clero convenirent, id tamen neque ex lege fiebat, neque ullo modo nunc fieri solet. Verum Ecclesia jubet hanc orationem per suos ministros solvi, quippe qui constituti fuerunt pro populo in iis quæ sunt ad Deum.

1) **S. Thomas.** *Summa 2. 2. q. LXXXIII. ar. XII.*

4.° *In persona totius populi fidelis*, totus enim populus per ministros Ecclesiæ, tamquam per suos legatos, apud Deum repræsentatur.

5.° *Deo offertur*, quia illa oratio est veluti quoddam sacrificium, cujus fit Deo oblatio, juxta illud psalmorum: *Sacrificium laudis honorificabit me* [1].

12. Hujusmodi oratio nuncupatur *Officium*, quod est idem ac munus, quatenus et jus quoddam honorabile dicit, et obligationem importat. Vocatur autem *divinum*, sive quia ad cultum Dei refertur, sive quia res continet divinas, et divinas exigit in recitante dispositiones, et rite recitantem veluti divinum facit.

Hinc et aliæ appellationes fuerunt illi propriæ, seu *Opus Dei* et *Pensum servitutis*, *Missa*, ob dimissionem populi, quæ, oratione soluta, dabatur [2], *Synaxis*, vel *Collecta*, eo quod omnes convenirent ad Officium recitandum (cf. n. 2), et *Horæ canonicæ*, quia ejusdem partes, juxta leges seu canones Ecclesiæ, determinatis recitantur horis.

13. Est igitur recitatio Divini Officii opus superexcellens, quo majus concipi nequit, præter actum illum, quo laudes Dei perpetuo præcinit Ecclesia in cœlis triumphans. Res enim Officium continet divinis, ut plurimum, verbis expressas, quæ utriusque naturæ, visibilis nempe et invisibilis, pulchritudinem et mysteria pandunt; quapropter ad Deum animos movet et in his devotionis sensus atque virtutum omnium dilectionem excitat et fovet, exemplis exhibitis præclarissimis Jesu Christi, B. Mariæ V. pluriumque Sanctorum tum veteris, tum novi Testamenti.

1) *Ps. XLIX. 23.*
2) Cf. *Liturgia Missæ, n. 18.*

Est insuper oratio universalis, quippe quæ a solis ortu usque ad occasum offertur, eosdemque renovat sensus, qui ex corde olim fluxere Patriarcharum et Prophetarum, ac dein Christi Domini, Apostolorum et Ss. Patrum, vel Doctorum Ecclesiæ.

Quare ajebat S. Maria Magdalena de Pazzis, in comparatione Officii divini, quamlibet orationem, vel devotionem minus mereri ac efficacem esse apud Deum.

14. Ex quo patet quanta cum diligentia ac pietate opus tam grande et sanctum sit persolvendum, cujus rei innumera nobis præbuerunt exempla sanctissimi viri, ceu, ut plures omittamus, S. Augustinus, S. Ignatius, S. Philippus Nerius, S. Franciscus Xaverius, qui profusis lacrymis ac pectore divini amoris flammis æstuante, canonicas Horas persolvebant; atque, præ ceteris, S. Felix Valesius, qui illud singulare promeruit, ut ei, in pervigilio Nativitatis Domini Matutinum in choro recitanti, B. Maria V., cum Angelis eam comitantibus, apparuerit et preces cum eo interseruerit [1].

CAPUT II.

De partibus divini Officii.

15. Partes in quas Divinum Officium distribuitur, *Horæ* vocantur, eo quod, ut jam præmonuimus (n. 12), determinatis diei horis illarum recitationem Ecclesia adsignavit.

Septem autem numerantur; qui numerus mysterium habet tum apud Hebræos, tum apud Chri-

1) *Breviar. Rom. Lect VI. in festo diei 20 Nov.*

stianos [1]. Sunt vero: Matutinum una cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ et Completorium.

Matutinum constituit Officium *nocturnum*, quia noctis decursu, et aliquando tribus distinctis horis, *vigiliis* nuncupatis, solebat recitari, quod etiamnum apud quosdam religiosos obtinet; ideoque in tres dividitur partes, quæ *nocturni* adhuc vocantur [2]. Laudes et ceteræ Horæ *diurnum* efformant Officium; quare, ut jam adnotavimus (n. 8) *Diurnale* appellamus librum, in quo ipsæ tantum continentur. Usu tamen communi, Prima, Tertia, Sexta et Nona solent nuncupari *Horæ minores*, dum ceteræ suum retinent nomen.

16. Singulæ Horæ constant psalmis, antiphonis, capitulis, hymnis, versiculis atque orationibus, et Matutinum etiam lectionibus cum responsoriis; et hæ partes fere nunquam desunt. Insuper habentur preces, commemorationes ac suffragia, quæ non semper dicuntur.

17. *Psalmus* idem est ac cantus ad pulsationem musici instrumenti, quod *Psalterium* dicitur, eratque in usu apud Hebræos. Liturgice vero psalterium est ipsa psalmorum collectio, ea nempe quæ, ut vidimus (n. 9), primam partem Breviarii efformat.

Psalmi dividuntur in *matutinales* et *vesperales*: illi adsignantur Matutino, Laudibus et Horis minoribus; isti adsignantur Vesperis.

Porro in Psalterio ita distributi inveniuntur, ut

1) Cf. **Macri.** *Hierolexicon* v. *Horæ canonicæ.*

2) *Matutinum* derivat a voce *matuta*, idest *aurora*, et ita cœpit appellari postquam, ex novo inducto more, Officium nocturnum cum Laudibus, quæ *mane* recitantur, fuit conjunctum. Usus recitandi Matutinum nocte apparet ex hymnis quæ in Officiis de tempore leguntur.

primo occurrant matutinales pro singulis diebus hebdomadæ, dein, pari ordine, vesperales; ultimo loco illi sunt positi, qui recitantur quotidie in Completorio et invariabiles sunt.

At quum Officium non dicitur *de tempore*, sed de aliquo festo, psalmi Matutini, et sæpe etiam Vesperarum, reperiuntur in *Proprio*, vel in *Communi Sanctorum* (cf. n. 9).

Numerum quod spectat psalmorum, qui in Officio recitantur, hæc generatim dicimus: In Matutino de Dominica psalmi sunt duodeviginti, seu duodecim in primo nocturno, tres in secundo et tres in tertio. In Matutino de feria unicum est nocturnum constans duodecim psalmis. In Matutino de festo habentur tres psalmi in unoquoque ex tribus nocturnis. Laudes habent semper quinque psalmos; singulæ Horæ minores habent tres [1], Vesperæ quinque et Completorium quatuor psalmos.

Ad instar psalmorum sunt *cantica*, quæ obtinent tantum in Laudibus, Vesperis et Completorio.

18. *Antiphona* idem dicit ac *opposita vox*, seu cantus reciprocus et alternatim ductus, ut in choro fieri solet. Sensu tamen Rubricarum est brevis sententia, vel ex divinis Scripturis, vel ex historia deducta.

Generatim, ante unumquemque psalmum aliqua antiphona legitur, quæ post illum repetitur. Aliquando tamen sub unica antiphona plures dicuntur psalmi, ut, v. g., in Horis minoribus et Completorio contingit.

Etiam ante et post cantica *Benedictus* in Laudibus, *Magnificat* in Vesperis, et *Nunc dimittis* in

1) Verum ad Primam, in Officio de tempore, sive dominicali, sive feriali, pluries additur alius psalmus.

Completorio, dicitur antiphona, quæ sæpius et longior est et deducta ex historia.

Pro diversitate ritus, quo Officium persolvitur, antiphonæ modo duplicantur, seu dicuntur integræ tum ante, tum post psalmos, vel cantica, modo, antea enunciantur tantum, seu usque ad interpositum asteriscum (cf. dicenda n. 37) [1].

19. *Capitulum* constat duabus vel tribus sententiis e Scriptura decerptis, et quidem, ut plurimum, ex ipsa Epistola, quæ in Missa, Officio respondente, legitur.

Capitula obtinent in singulis Horis, Matutino excepto, et quæ spectant ad Officia dominicalia, vel ferialia, reperiuntur in secunda parte Breviarii; quæ spectant ad Officia festorum, in tertia, vel quarta parte suum tenent locum (cf. n. 9). Omittuntur autem prorsus a Feria V. in Cœna Domini ad Sabbatum in Albis et in Officio Defunctorum.

20. *Hymnus* est cantus metricus, quo Dei laudes celebrantur, cum relatione ad qualitatem Officii, quod recitatur, et singulæ Horæ suum hymnum habent. Multiplex est metri species, qua hymni efformantur et hi pluribus constant strophis, quarum prior est veluti introductio, postrema est conclusio. Hæc conclusio solet continere exclusive laudes SS. Trinitatis, quo casu *communis* appellatur; quod si aut nullimode laudes prædicat SS. Trinitatis,

1) Quando antiphona eadem est ac primus versiculus psalmi, qui subnectitur, illâ recitatâ, hic est prætermittendus, ita ut a secundo versiculo psalmus initium habeat. Item, quando antiphona non integra enunciatur, sed verba prolata usque ad asteriscum eadem sunt ac prima psalmi verba, antiphonâ incohatâ, psalmi primus versiculus continuatur a verbo quo antiphona desiit, prioribus non repetitis. *Breviar. Rom. Rubr. Gener. Tit. XXI. n. 7.*

aut, præter istas, exprimit quoque laudes vel Jesu Christi, vel B. Mariæ V., vel Sanctorum, vocatur *propria*.

Exempla conclusionis communis exhibent hymni Horarum minorum, et generatim conclusiones communes sunt hujusmodi: *Deo Patri sit gloria — Ejusque soli Filio*, etc. *Præsta, Pater piissime — Patrique compar unice*, etc. *Virtus, honor, laus gloria — Deo Patri cum Filio*, etc. *Laus et perennis gloria — Patri sit, atque Filio*, etc.

E contra, sunt propriæ hæ conclusiones: *Jesu, tibi sit gloria — Qui natus es de Virgine*, etc., quæ dicitur in plerisque festis Domini et B. Mariæ V.; *Deo Patri sit gloria — Et Filio, qui a mortuis*, etc., quæ obtinet tempore paschali; *Te nunc, Redemptor, quæsumus — Ut Martyrum consortio*, etc., quam habet hymnus Matutini de Communi plurimorum Martyrum; et aliæ quæ in Breviario inveniri possunt.

21. Regula est [1], quod in Officiis, quæ dicuntur tum paschali tempore, tum in festis Domini, aut B. Mariæ V., tum infra horum octavas, quamvis in his diebus Officia fiant de Sanctis, et octavæ occurrentis commemoratio omittatur [2], hymni, qui ad singulas recitantur Horas, si conclusionem communem habent, eam mutant in propriam occurrentis festi Domini aut B. Mariæ V., vel hujus octavæ, vel temporis paschalis, dummodo tamen diversa non sit metri mensura, ut contingit in

1) *Breviar. Rom. Rubr. Gener. Tit. XX.*
2) S. R. C. 29 Nov. 1755, n. 2439, ad II. Ita, v. g., ubi in Dominica infra octavam Assumptionis B. M. V. fit festum S. Joachim Conf. sub ritu Dupl. 2 classis, in hoc omittenda est commemoratio octavæ B. Mariæ V.; sed in hymnis Officii prædicti festi conclusio usurpatur propria octavæ, seu *Jesu, tibi sit gloria*, etc.

hymno *Ave, Maris Stella*, et in alio *Iste Confessor*, etc. quibus aptari nequit conclusio *Jesu, tibi sit gloria*, vel similis.

Dicimus: si conclusionem communem habent; quia si jam habent propriam, ut hymnus Matutini de Communi plurimorum Martyrum (cf. n. 20), eam in aliam propriam non mutant.

Quid speciatim in Vesperis et Completorio sit servandum, alibi dicemus (cf. n. 80).

22. Aliud adnotandum occurrit in hymno de Communi Confessoris *Iste Confessor*, etc., cujus prima strophes concluditur verbis ... *meruit beatas — Scandere sedes*, quæ dicuntur cum Sanctus, de quo fit Officium, colitur ipsa die sui obitus et per octavam, si hanc festum habet. Quando vero Sancti Confessoris Officium recitatur extra diem obitus, vel extra hujus octavam, dicta verba mutantur in alia: .... *meruit supremos — Laudis honores* [1]. (cf. n. 41).

In Breviario, pro Sanctis Confessoribus, quorum Officium fit extra diem ipsorum obitus, solet indicari mutatio facienda in hymno per litteras *m. t. v.* (mutatur tertius versus).

De casu singulari, quoad hanc mutationem, alias sermo erit (cf. n. 80).

23. *Versus*, seu *versiculi*, a *vertendo* dicti, quia, recitatis psalmis, ad alios affectus excitandos mens vertitur, sunt breves sententiæ scripturales, vel etiam invocationes, duplici versu contentæ, quæ recitantur in Matutino, post omnes psalmos uniuscujusque nocturni; in Laudibus et Vesperis, post

1) In festo Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci (die 17 Sept.), strophes hymni ita mutatur: ... *meruit beata — Vulnera Christi;* idque etiamsi in aliam diem festum transferatur. S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 2365, ad III.

hymnum. Ex ipsis autem versibus, præsertim ex iis, qui post nocturnos Matutini dici solent, efformantur *responsa brevia*, quæ obtinent in Horis minoribus et in Completorio.

24. *Oratio* pro singulis Officiis assignata, sive propria, sive communis, dicitur post quamlibet Horam, præmisso *Dominus vobiscum* si recitans, etiam sine ullo socio, sit saltem Diaconus, sin minus, præmisso *Domine exaudi orationem meam*. Ad Primam tamen et ad Completorium orationes quotidie dicuntur eædem, prout jacent in Breviario.

Si post Matutinum non recitantur continuo Laudes, illud concluditur oratione Officio assignata, additis *Dominus vobiscum*, *Benedicamus Domino*, *Fidelium animæ* et *Pater noster*, prout fit post singulas Horas [1].

25. *Lectiones* obtinent tantum in Matutino, et tres sunt pro unoquoque nocturno. Desumuntur autem, pro primo nocturno, e S. Scriptura, sive unius, sive alterius Testamenti [2], non tamen ex psalmis, vel libris Evangeliorum, et hæ reperiuntur in secunda parte Breviarii distributæ per singulas Dominicas et ferias, nisi aliæ, vel propriæ, vel de communi, sint alicui Officio assignatæ ; pro secundo nocturno, aut e sermonibus Ss. Patrum super lectiones primi nocturni, aut ex narratione vitæ illius Sancti, de quo fit Officium, aut e sermonibus, vel tracta-

1) S. R. C. 18 Maji 1883, n. 3574, ad II ; 1 Febr. 1886, n. 3653. Circa modum concludendi orationes cf. *Liturgia Missæ, n. 68.*

2) Pluris faciendæ sunt lectiones illæ, quæ referunt *initium* alicujus libri scripturalis. Eædem enim, quando sua die dici non possunt, alia die resumuntur ; dum, e contra, ceteræ, si impediatur ipsarum lectio, die qua occurrunt, prætermittuntur.

tibus Ss. Patrum in laudem Sanctorum, mysteriorum, etc., aut ex monumentis Ecclesiæ; pro tertio nocturno, ex homiliis Ss. Patrum super Evangelium Officio respondens [1], præmisso illius initio [2].

Aliquando nona lectio, quæ est tertia in tertio nocturno, desumitur ex vita Sancti illius, de quo eadem die recolitur memoria, quin tamen integrum de eo dicatur Officium; vel desumitur ex homilia super aliud Evangelium, cujus pariter initium præenunciatur, pertinens ad Dominicam, vel feriam, vel vigiliam die eadem occurrentem [3], de qua integrum Officium minime persolvitur. Ita v. g., die 28 Aprilis legitur Officium de festo S. Pauli a Cruce; sed nona lectio est de vita S. Vitalis Martyris, cujus itidem occurrit festum; et singulis feriis Quadragesimæ nona lectio est semper de Evangelio feriæ.

Quod si eadem die occurrit tum nona lectio de quodam Sancto, tum nona lectio de Dominica, vel de feria, vel de vigilia, hæc illi est præferenda et prior, quæ est de Sancto, omittenda.

26. Singulis lectionibus adnectitur *responsorium*, quod, brevi sententia, sæpe continet conceptus in lectione expressos, vel etiam historiam in illis enarratam prosequitur.

Constat duabus partibus, scilicet responsorio proprie dicto et versu, quibus, extra tempus Pas-

1) Idem Evangelium legitur in Missa, quæ recitato Officio respondet.

2) Quando vero unicum obtinet nocturnum in Matutino, tres tantum sunt lectiones, seu de Scriptura, vel de homilia, ut in feriis; aut prima de Scriptura et aliæ de Sancto, ut in festis ritus Simplicis.

3) Quare in Missa legitur idem Evangelium in fine, loco Evangelii S. Joannis.

sionis, in responsorio tertio uniuscujusque nocturni, additur *Gloria Patri*, etc.. Verum, exceptis Officiis de Dominica, vel de feria, quæ occurrunt tempore Adventus et a Septuagesima ad Pascha, post ultimam lectionem tertii nocturni, nullum dicitur responsorium, sed huic substituitur hymnus *Te Deum*.

Hoc quidem adnotare præstat, nonam lectionem de vita Sancti eadem die occurrentis, de qua supra egimus (n. 25), non esse legendam in illis Officiis, in quibus, post ultimam lectionem, omisso hymno *Te Deum*, recitatur nonum responsorium.

27. *Preces* sunt quidam versiculi, qui in nonnullis Officiis inseruntur ante orationem. Sæpius obtinent ad Primam et ad Completorium ; aliquando vero obtinent etiam ad Laudes et ad singulas Horas minores. In primo casu vocantur *dominicales*, quia in Officio de Dominica solent habere locum, licet et aliis diebus recitentur ; in altero casu *feriales* nuncupantur, quia solummodo in Officiis ferialibus dicuntur.

Attamem si Officium exigens dictas preces occurrat infra quamcumque octavam, preces prorsus omitti debent.

28. *Commemoratio* est exigua pars Officii, quæ huic, per integrum aut ex parte impedito, substituitur, ut ejus teneat locum.

Regula enim est unum tantum, unaquaque die, Officium esse persolvendum. Quum autem frequenter contingat duo, vel plura, die eadem, fore Officia dicenda, ideo unum ex iis integrum recitatur, aliorum vero pars exigua, seu commemoratio dicitur.

Commemorationes autem, si quæ occurrunt, locum habent solummodo in Laudibus ac in Vesperis, et consistunt in antiphona, quæ in dictis Horis ad *Benedictus* et ad *Magnificat* assignatur, sive pro-

pria, sive communi, cum respondentibus versiculis et oratione, pariter propria, vel communi.

Quod si ejusdem generis sit tum Officium, quod integrum recitatur, tum illud, cujus fit tantum commemoratio, v. g. ambo de Martyre, vel de Virgine, etc., ne eadem antiphona cum suis versiculis repetatur in eadem Hora, ea quæ pro commemoratione usurpatur ad Laudes debet sumi ex Vesperis, et vicissim ad Vesperas desumenda est ex Laudibus [1].

Quo ordine sint faciendæ commemorationes, quando plures occurrunt, infra videbimus (cf. n. 69).

29. *Suffragia Sanctorum* sunt species commemorationum, et nuncupantur etiam *commemorationes communes*, ut a specialibus, de quibus superius actum est (n. 28), discernantur.

Illas insertas invenimus in Breviario, vel in Diurnali, immediate ante Completorium, sequenti dispositas ordine: de Cruce, de S. Maria, de S. Joseph, de Apostolis, de Patrono vel Titulari Ecclesiæ, de Pace. Obtinent autem ad Laudes et ad Vesperas tantum, post orationem et commemorationes speciales, in quibusdam Officiis, sive de tempore, sive de festo.

Id porro est notandum, commemorationem communem omitti de quo dictum est, ea die, integrum Officium, vel facta fuit commemoratio specialis, ne bis de eodem agatur.

De Patrono, vel Titulari Ecclesiæ commemoratio in suffragiis tenet penultimum locum; nisi

1) *Breviar. Rom. Rubr. Gener. Tit. IX. n. 8*; heic aliæ minus frequentes variationes indicantur. Supponitur quidem alterutram antiphonam non esse propriam; secus enim nulla esset repititio et ideo nulla variandi necessitas.

tamen sit de divinis misteriis vel Personis, tunc quippe locum habet ante commemorationem de S. Maria, vel nisi sit de Angelis aut de S. Joanne Baptista, de quibus agitur ante commemorationem de S. Joseph [1].

Ubi consuetudo viget, adjungi potest commemoratio Patroni principalis loci et Diœceseos. Hæc quidem, ceteris paribus, postponenda est commemorationi Patroni, vel Titularis Ecclesiæ, tum quia hæc altera, utpote ex Rubricarum præscripto, præcedentiam obtinet [2], tum quia inter Patronos prior commemoratur qui magis proprius est; magis autem proprius est Patronus Ecclesiæ particularis, quam Patronus alicujus loci, vel Diœceseos.

Commemorationem Patroni vel Titularis Ecclesiæ agere tenetur quilibet, sive sæcularis, sive regularis, alicujus Ecclesiæ servitio, quocumque canonico titulo, addictus, dummodo Ecclesia sit publica, quamvis non sit consecrata, sed tantum solemniter benedicta [3]. Cf. tamen dicenda Tit. VI. Cap. I.

Titularis autem Ecclesiæ Cathedralis commemoratio agitur ab iis dumtaxat, qui sunt de gremio ipsius; et majoris Ecclesiæ Seminarii Titularem commemorare debent seminaristæ et professores,

1) Commemoratio Omnium Sanctorum, in Ecclesia quæ hunc Titulum habet, fit post commemorationem de Ss. Apostolis, neque ceteræ omittuntur. E contra, in Officio de Ss. Angelis omittitur commemoratio S. Michaelis, ubi hic est Titularis, non vero S. Gabrielis, vel S. Raphaelis, cum horum antiphonæ et orationes diversæ sint. Item non fit commemoratio S. Crucis, vel SS. Sacramenti, in Officio de Passione. S. R. C. 13 Jan. 1899, n. 4006, ad VII. et VIII.

2) Cf. *Ephem. Liturg. an. 1901. pag. 181.*

3) S. R. C. 28 Nov. 1891, n. 3752, ad I.; 27 Junii 1899, n. 4043, ad I.

sive isti ibidem, sive alibi Officia divina celebrare soleant [1].

Regulares addunt commemorationem proprii Fundatoris, cui, nisi aliter exigat personalis dignitas, anteponenda est commemoratio Titularis Ecclesiæ, quia hæc est magis particularis et propria [2].

Suffragia Sanctorum omittuntur, etsi Officium illa exigat, a prima Dominica Adventus ad diem octavam Epiphaniæ, et a Dominica Passionis ad diem octavam Pentecostes; item infra quascumque octavas.

CAPUT III.

De multiplici Officiorum specie.

30. Diversa Officiorum species determinatur potissimum ab ipsorum objecto. Spectato enim objecto, Officia habentur: 1° de tempore, nempe de Dominica, vel de feria, 2° de festo, 3° de octava, 4° de vigilia.

31. *Dominica*, sic dicta quia Domino ejusque mysteriis principaliter dicata, primum tenet locum singulis hebdomadis, ita ut dies ceteri locum secundum, tertium, etc. post præcedentem Dominicam, habeant, ab eaque ordinem numerationis sumant.

Dividuntur Dominicæ in *majores*, seu *privilegiatas*, et *minores*, seu *per annum*. Illæ sunt in quibus potiora creationis et redemptionis mysteria coluntur, atque ita distinguuntur, ut aliæ sint I. classis,

1) S. R. C. 4 Sept. 1745, n. 2388, ad VIII; 28 Sept. 1872, n. 3279, ad I. et II. Cf. etiam 7 Sept. 1850, n. 2980, ad II.

2) Cf. S. R. C. 17 Julii 1900, ap. *Ephem. Liturg. an. 1900 pag. 537.*

aliæ II. classis. Priores, seu I. classis, nulli cedunt festo, quia earum Officium est integre recitandum, et octo numerantur, videlicet: Prima Adventus, prima Quadragesimæ, Passionis, Palmarum Paschatis, in Albis, Pentecostes, SS. Trinitatis. Posteriores cedunt tantum festis ritus Duplicis I. classis; in his quippe illarum non quidem integrum Officium recitatur, sed sola fit commemoratio, et novem existunt, scilicet: Secunda, tertia et quarta tum Adventus, tum Quadragesimæ, Septuagesima, Sexagesima et Quinquagesima.

Ceteræ Dominicæ sunt minores, et cuicumque festo ritus Duplicis cedunt; verum, semper sibi vindicant commemorationem in Officio diei, cum IX. lectione ex homilia in Matutino (cf. n. 25). Excipiuntur perpaucæ Dominicæ, seu incidentes in festa diesque octavas Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Joannis Ap., Ss. Innocentium et Epiphaniæ ac in hujus vigiliam, quæque Dominicæ *vacantes* nuncupantur, de quibus nec Officium, nec commemoratio fit.

32. *Feriæ* dicuntur dies, qui Dominicam insequuntur, et prima quæ in hebdomada occurrit vocatur feria II., dein est feria III., feria IV., etc.; sed quæ septimum tenet locum, nomen Sabbati, a vetere Testamento, propter hujus auctoritatem, mutuatur. De etymologia vocis dicemus infra.

Dividuntur feriæ in *majores* et *minores*. Majores, de quibus aut Officium, aut saltem commemoratio debet fieri, eæ sunt quæ occurrunt in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus et feria II. Rogationum. Ex his, quædam sunt *privilegiatæ*, scilicet feria IV. Cinerum et omnes infra Majorem Hebdomadam, quæ nulli festo cedunt; aliæ sunt *communes* et commemorationem exigunt.

Ceteræ feriæ sunt minores, de quibus nulla fit commemoratio in occurrente Officio [1].

33. *Festa* sunt dies illi, qui Sanctis vel peculiaribus mysteriis colendis deputantur.

Multiplex est eorum species. Etenim dividuntur:

1° *ratione ritus*, in *duplicia, semiduplicia*, et *simplicia*. Duplicia vero subdividuntur in *duplicia I. et II. classis, majora et minora*. Patet eo digniora esse festa, quo altiorem habent ritum; eaque, prout infra explicabimus (cf. Cap. seq.), potioribus fruuntur privilegiis.

2° *ratione qualitatis*, in *primaria* et *secundaria*; quæ quidem distinctio olim festis dumtaxat Duplicibus I. et II. classis et majoribus aptabatur, dein ad Duplicia minora et ad Semiduplicia fuit extensa [2].

Qualitas hujusmodi, tum ex rei natura, tum etiam ex voluntate Ecclesiæ pendet; quare elenchum referre præstat, quo dignoscatur quibus festis unam alteramve qualitatem Ecclesia assignaverit (cf. Append. in fine Cap. seq.).

Generatim, ea festa quibus recolitur unum ex præcipuis mysteriis Domini vel privilegiis Deiparæ Virginis, aut transitus Sanctorum, primaria sunt; cetera sunt secundaria.

3.° *ratione intrinsecæ dignitatis*, in habentia dignitatem *insignem*, et habentia dignitatem *non insignem*, seu *exiguam*. Habent insignem dignitatem festa: *a*) Domini, sive Deum unum aut trinum respiciant, sive unam ex divinis personis, sive Jesum Christum, sive adnexa mysteria; *b*) B. Mariæ Vir-

1) Excipitur feria VI. post octavam Ascensionis Domini, cujus commemoratio fit in Officio et Missa. Feriæ III. et IV. Rogationum agitur commemoratio in Missa, non autem in Officio.

2) S. R. C. 14 Aug. 1894, n. 3837.

ginis ; *c*) Ss. Angelorum, sive omnium, sive plurium, sive unius ; *d*) S. Joannis Baptistæ ; *e*) S. Joseph, Sponsi B. M. V. ; *f*) Ss. Apostolorum et Evangelistarum. Ordo hic descriptus determinat quoque majorem minoremve dignitatem qua pollent festa indicata, prout sese invicem præcedunt, vel subsequuntur.

Cetera festa non insignem, sed exiguam habent dignitatem, et quidem juxta hunc ordinem : *a*) Martyrum Pontificum ; *b*) Martyrum tantum ; *c*) Confessorum Summorum Pontificum ; *d*) Confessorum Episcoporum ; *e*) Confessorum ; *f*) Virginum et Martyrum ; *g*) Virginum tantum ; *h*) Martyrum non Virginum ; *i*) nec Virginum, nec Martyrum.

4°. *ratione solemnitatis*, in *solemnia* et *non solemnia*. Illa aguntur cum quadam solemnitate plus minusve magna, v. g. cum feriatione et præcepto audiendi Sacrum, cum Indulgentia plenaria, cum populi concursu, cum solemni cantu Officii, etc. Alia sine ulla extrinseca solemnitate celebrantur.

Ex prioribus tamen, quædam habentur tamquam festa omnibus solemniora, aut pro Ecclesia universali, aut pro locis particularibus. Pro tota Ecclesia censentur solemniora festa Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ cum ejus die octava, Paschatis et Pentecostes cum integra eorum octava, Ascensionis, Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis B. Mariæ V., Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Joseph Sponsi B. Mariæ V., Ss. Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum. Pro particularibus locis solemniora sunt festa Dedicationis Ecclesiæ propriæ, Patroni loci, vel Religionis et Titularis Ecclesiæ.

5°. *ratione stabilitatis*, in *immobilia*, seu *fixa* et *mobilia*. Immobilia dicuntur quæ certis diebus sunt

affixa, juxta computationem anni civilis, nec, nisi per accidens, solent ab iis dimoveri. E contra mobilia ea sunt, quæ, nulli certo diei mensis affixa, alicui Dominicæ, vel feriæ adnectuntur, eorumque sedes pendet a die in quam singulis annis incidit festum Paschatis, v. g. Paschatis, Pentecostes, Ascensionis, Cordis Jesu, etc..

Sunt quoque nonnulla festa, quæ aliquibus determinatis Dominicis celebranda assignantur. Ex his quædam fuerunt Dominicis affixa, tamquam in die propria, pro Ecclesia universa; quare in Calendario universali inserta reperiuntur, ut v. g. festa S. Joachim, SS. Rosarii, VII Dolorum B. Mariæ V., etc. [1] Alia vero indulta fuerunt et Dominicis addicta pro particularibus tantum locis, ut v. g. festa Maternitatis, Puritatis et Patrocinii B. Mariæ V., etc. [2] Jamvero, prioris generis festa improprie dicuntur mobilia et verius immobilibus accensentur, atque adnexam habent feriationem; festa alterius generis mobilia sunt et talia vocantur, et feriationem non habent per se adnexam, licet in Dominicis celebrentur.

6) *ratione extensionis,* in *universalia* et *particularia.* Illa toti Ecclesiæ sunt concessa; hæc nonnisi loco alicui, puta regno, provinciæ, Ordini religioso, Diœcesi, etc. Ex posterioribus, quædam dicuntur etiam *propria,* quæ scilicet ad locum particularem habent relationem. Hoc sensu propria sunt festa Dedicationis, Patroni, Titularis Ecclesiæ et Sancto-

1) Hujusmodi sunt quoque festa SS. Nominis tum Jesu, tum B. Mariæ V., Patrocinii S. Joseph, et Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

2) Ad hoc genus pertinent etiam festa Divini Pastoris Matris, de Perpetuo Succursu, Purissimi Cordis B. Mariæ V., SS. Redemptoris, Reliquiarum Sanctorum.

rum qui ortu, vel obitu, munere, prædicatione, miraculis, etc., alicubi fuerunt illustres, vel inibi Reliquia eorum insignis asservatur, vel ad religionem aliquam pertinuerunt, etc. [1].

Exinde patet festa, et consequenter Officia, quæ propria sunt, esse quoque particularia, non e contra, licet haud raro has duas determinationes simul confundi reperiamus apud Auctores, ac si nulla detur inter eas distinctio.

7) *ratione obligationis*, in *præceptiva, facultativa* et *ad libitum*. Præceptiva imponuntur omnibus ad quos præceptum fertur, ita ut hi non valeant sese eximere ab obligatione ea celebrandi vel in *choro* tantum, idest quoad Officium et Missam, vel in *foro* quoque, idest etiam cum onere audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus. Facultativa ex peculiari concessione recoluntur, sed quamvis acceptari possint, vel non, semel tamen a Superiore acceptata, obligant omnes et tamquam præceptiva habentur. Ad libitum concessa, quibusdam in casibus possunt vel omitti, vel recitari, sed nonnisi die a S. Sede assignata sunt celebranda, secus, si impediantur, sunt omittenda [2].

34. *Octavæ* sunt spatium octo dierum, quo festa solemniora continuantur. Prima dies est ipsum festum ; postrema dicitur *dies octava*; dies intermedii vocantur dies *infra octavam*.

Dividuntur octavæ in *privilegiatas* et *communes*.

1) Cf. **Cavalieri**. *T. II. Dec. 121, n. 3.* **Gujetus**. *L. I. c. 14, q. 4.*

2) In Calendario universali duo occurrunt Officia ad libitum, seu S. Canuti Reg. et Mart. (19 Januarii) et S. Remigii Ep. Conf. (1. Octobris) ambo ritus Semiduplicis. Hoc alterum tamen est præceptivum sub ritu Simplici, unde saltem sub hoc ritu debet celebrari.

Privilegiatæ quinque enumerantur, videlicet: Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi. Ratione vero privilegiorum, quibus fruuntur, præstant ceteris octavæ Paschatis et Pentecostes; his succedit octava Epiphaniæ, dein octava Corporis Christi et ultimum tenet locum octava Nativitatis Domini.

Aliæ octavæ, sive universales, sive particulares, communes sunt.

Id est notandum, dies infra octavam quamcumque haberi tamquam secundarios; diem vero octavam esse primariam, vel secundariam, prout unius, vel alterius qualitatis est festum ad quod illa pertinet [1] (cf. n. 33 (2°)).

Item prætereundum non est, a die 17 Decembris usque ad Epiphaniam, et a feria IV. Cinerum usque ad Dominicam in Albis, necnon a Vigilia Pentecostes ad SS. Trinitatem, omnes octavas particulares, nisi præsto sit indultum, prohiberi et incœptas abrumpi. Diximus octavas *particulares*; nam quæ pro universa Ecclesia vigent, non vetantur, ut v. g. octavæ Nativitatis Domini, S. Stephani, Pentecostes, etc. [2]. Quod si tempus, quo prohibetur octava, cessat antequam hæc, iam inchoata, compleatur, non ideo fas est dies, octavæ ejusdem, qui supersunt, celebrare [3].

Infra quascumque octavas omittuntur suffragia Sanctorum (cf. n. 28) et preces (cf. n. 26), etsi Officii ritus has et illa per se exigat (cf. n. 37).

35. *Vigiliæ* sunt dies, quæ immediate præcedunt

1) S. R. C. 21 Febr. 1896, n. 3886, ad I. et II.

2) E contra, ubi festum S. Luciæ (die 13 Dec.) agitur cum octava, puta ratione Titularis, de ea fit usque ad diem 16 Decembris, non ultra.

3) **De Herdt.** *S. Lit. Praxis, T. II. n. 242.*

festa et ad hæc veluti disponunt animum peculiaribus precibus et aliquando etiam jejunio.

Quare in primis vigiliæ dividuntur in eas *quæ jejunantur* et eas *quæ non jejunantur*. Priores, de jure communi, sunt quæ præcedunt festa Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. Mariæ V., S. Joannis Baptistæ, singulorum Ss. Apostolorum [1], S. Laurentii et Omnium Sanctorum; et quamvis hodie non in omnibus servetur jejunium, liturgice tamen adhuc habentur ceu vigiliæ quæ jejunantur. Posteriores sunt quæ festa præcedunt Epiphaniæ Ascensionis et Immaculatæ Conceptionis.

Secundo, dividuntur in *privilegiatas* et *communes*. Privilegiatæ tres indicatur ab Auctoribus [2], videlicet, vigiliæ Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes.

Ceteræ vigiliæ, sive habeant, sive non habeant adnexum jejunium, sunt communes et dici possunt *minores*.

CAPUT IV.

De multiplici Officiorum ritu.

36. In subjecta materia, *ritus* vocatur modus diversus, quo Officia, pro diverso eorum gradu, sunt recitanda.

1) Attamen excipitur vigilia Ss. Philippi et Jacobi, quæ occurrit tempore Paschali, et vigilia S. Joannis Ev., quæ incidit infra octavam Nativitatis Domini.

2) Dicimus *ab Auctoribus*, cum enim Decreta S. R. Congregationis ab Indultis excipiunt vigilias privilegiatas, non solent inter has vigiliam accensere Epiphaniæ. Quare non desunt qui, sicut ferias, ita et vigilias dispescunt in *majores* et *minores*, majores autem in *privilegiatas* et *non privilegiatas*. Majores dicunt vigilias Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes, quarum prima et tertia ut privilegiatas habent, secundam ut non privilegiatam.

Primitiva enim Ecclesia nonnisi Domini, Deiparæ Virginis, Apostolorum et Martyrum festa celebrare solebat, et horum quidem Sanctorum per solam commemorationem in Officio et Missa de tempore peractam. Serius, Apostolorum et Martyrum, ac deinceps aliorum quoque Sanctorum Officia introducta fuerunt [1]; quapropter, juxta majorem minoremve ipsorum dignitatem, aut intrinsecam, aut extrinsecam, necesse fuit diversum modum, magis vel minus solemnem, in illis Officiis persolvendis præstituere, seu constituti sunt ritus diversi.

37. Tres sunt, juxta Rubricas [2], ritus, scilicet: *Duplex*, *Semiduplex* et *Simplex*.

Quin de vocibus ipsis inquiramus, quarum etymologicus sensus non unus est penes diversos Auctores, rem illis expressam, quatenus per ipsas liturgici determinantur effectus, tantummodo exponimus.

Porro, ritus Duplex hoc in primis habet proprium, quod in Officio, cui ille assignatur, exceptis tamen Horis minoribus et Completorio, *duplicantur* antiphonæ, scilicet integræ dicuntur tum ante, tum post psalmos, vel cantica (cf. n. 17), et per hoc a Semiduplici et Simplici distinguitur. Sed insuper duplices, *per se*, habet Vesperas, seu pridie (*primæ* Vesperæ) et ipsa die festi (*secundæ* Vesperæ); Matutinum tribus constans nocturnis [3], cum tribus psalmis totidemque lectionibus in unoquoque nocturno [4];

1) Cf. **Benedictus XIV**. *De Canoniz. Sanctor. L. I. c. V.*

2) *Breviar. Rom. Rubr. Gener. initium.*

3) Verum Matutinum quod legitur in Dominicis et per octavas Paschatis et Pentecostes, unicum habet nocturnum cum tribus psalmis et totidem lectionibus.

4) Unde Officia ritus Duplicis vocantur quoque Officia *novem lectionum.*

item, nec Suffragia Sanctorum (cf. n. 28), nec preces (cf. n. 26) admittit.

Hoc ritu decorantur Officia quatuor Dominicarum Paschatis, in Albis, Pentecostes, SS. Trinitatis [1]; item ultimi tridui Majoris Hebdomadæ; item plurium festorum Domini, B. Mariæ V. et Sanctorum, necnon diei octavæ in quibuscumque octavis.

Ritus autem Duplex, utut unicus sit, subdividitur in quatuor gradus; unde habetur *Duplex I. classis, Duplex II. classis, Duplex majus* et *Duplex minus.*

Ritus Semiduplex differt a Duplici, quia in Officio antiphonæ, ante psalmos, vel cantica, enunciantur tantum. Nihilominus, non secus ac Duplex, et duplices habet Vesperas et Matutinum tribus constans nocturnis [2]; e contra, admittit suffragia Sanctorum et preces dominicales, salvis supra indicatis exceptionibus (cf. n. 28, 33).

Habent Officium ritus Semiduplicis omnes Dominicæ, præter quatuor supra indicatas; quædam Sanctorum festa; dies infra octavas [3]; vigiliæ Nativitatis Domini ante Laudes, Epiphaniæ et Pentecostes cum feria VI. quæ hanc antecedit [4].

Ritus Simplex ab aliis distinguitur quia secundis caret Vesperis. Insuper, unicum nocturnum obtinet in Matutino, seu feriale cum duodecim psalmis tri-

1) Attamen **Gardellini** validis argumentis probat Dominicam SS. Trinitatis ritu Semiduplici tantum potiri. Cf. *Suffrag. sup. Decr. n. 2632, in Coll. auth. Decret. S. R. C. Vol. IV. pag. 244.*

2) Etiam Officia ritus Semiduplicis vocantur Officia *novem lectionum.*

3) Dies II. et III. infra octavas Paschatis et Pentecostes sunt ritus Duplicis I. classis.

4) Officia votiva an. 1883 a Leone XIII concessa, pro sex infra hebdomadam diebus, sunt ritus Semiduplicis.

busque lectionibus [1]; non habet antiphonas duplicatas, et exigit suffragia Sanctorum ac preces etiam feriales, tempore quo hæ præscribuntur (cf. n. 27) [2].

Hujus ritus Officium habent: feriæ omnes, exceptis tribus ultimis Majoris Hebdomadæ; nonnulla Sanctorum festa; vigiliæ communes (cf. n. 35).

At, præter hunc ritum, qui dici potest Simplex *per se*, et alius exstat, qui dicitur Simplex *per accidens*, et habetur quando festum aliquod ritus Duplicis, vel Semiduplicis, quod, propter superveniens impedimentum, nequit per integrum Officium sua die celebrari, redigitur ad ritum Simplicem, ut saltem ejus commemoratio non omittatur. Hoc quidem casu festum illud *simplificari* dicitur (cf. dicenda n. 45).

APPENDIX.

38. Ut innotescat quænam festa, ex voluntate Ecclesiæ, uti primaria, vel secundaria retinenda sunt, expedit Catalogum hic referre, quem S. R. Congregatio Decreto Generali edidit anno 1893 [3].

FESTA PRIMARIA

In Calendario universali.

§ I. Duplicia primæ classis.

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis.

1) Officia ritus Simplicis vocantur Officia *trium lectionum*.

2) Preces feriales dicuntur tantum in feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum et in vigiliis, quæ jejunantur (excepta vigilia Nativitatis Domini, et vigilia ac Quatuor Temporibus Pentecostes).

3) S. R. C. Decr. Gener. 22 Aug. 1893, n. 3810.

Ascensio Domini.
Pentecostes.
Festum Corporis Christi.
Immaculata Conceptio, Annuntiatio et Assumptio B. Mariæ V.
Nativitas S. Joannis Baptistæ.
Festum S. Joseph, Sponsi B. Mariæ V.
Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli.
Festum Omnium Sanctorum.
Dedicatio propriæ Ecclesiæ.
Patronus Principalis Regionis, vel Diœcesis, aut loci.

§ II. **Duplicia secundæ classis.**

Circumcisio Domini.
Festum SS. Trinitatis.
Purificatio B. Mariæ V.
Visitatio B. Mariæ V.
Nativitas B. Mariæ V.
Dedicatio S. Michaëlis Archangeli.
Natalitia undecim Apostolorum.
Festa Evangelistarum.
Festum S. Stephani Protomartyris.
Festum Ss. Innocentium Martyrum.
Festum S. Laurentii Martyris.
Festum S. Annæ, Matris B. M. V.
Festum S. Joachim, Patris B. M. V.

§. III. **Duplicia majora per annum.**

Transfiguratio Domini.
Dedicatio Archibasilicæ Ss.mi Salvatoris.
Dedicatio S. Mariæ ad Nives.
Festum Ss. Angelorum Custodum.
Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apostolorum.

Festum S. Barnabæ.
Festum S. Benedicti Abbatis.
Festum S. Dominici Conf.
Festum S. Francisci Conf.
Festum Patronorum minus Principalium.

§. IV. **Alia Duplicia per annum.**

Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscujusque Sancti.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

S. Gabrielis Archangeli.
S. Raphaëlis Archangeli.
Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscujusque Sancti.
Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora, vel Reliquiæ in Ecclesiis Diœceseos asservantur.

FESTA SECUNDARIA

IN CALENDARIO UNIVERSALI.

§. I. **Duplicia primæ classis.**

Sacratissimi Cordis Jesu.

§. II. **Duplicia secundæ classis.**

Festum Ss.mi Nominis Jesu.
Festum Inventionis S. Crucis.
Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.
Solemnitas Ss.mi Rosarii B. Mariæ V.

§. III. **Duplicia majora.**

Exaltatio S. Crucis.
Duo Festa Septem Dolorum B. Mariæ V.

Commemoratio B. Mariæ V. de Monte Carmelo.
Festum Ss.mi Nominis B. Mariæ V.
Festum de Mercede B. Mariæ V.
Præsentatio B. Mariæ V.
Apparitio S. Michaëlis Archangeli.
Decollatio S. Joannis Baptistæ.
Cathedra S. Petri Ap. utraque.
Festum ejusdem ad Vincula.
Conversio, et Commemoratio S. Pauli Ap.
Festum S. Joannis ante Portam Latinam.

Pro aliquibus locis.

Officia Mysteriorum et Instrumentorum Passionis D. N. J. C.
Ss.mi Redemptoris.
Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph.
Purissimi Cordis Mariæ.
Desponsationis, Maternitatis, Puritatis, Patrocinii B. Mariæ V.
Translationis Almæ Domus B. Mariæ V.
Exspectationis Partus B. Mariæ V.
B. Mariæ V. Auxilium Christianorum.
Prodigiorum B. Mariæ V.
Apparitionis B. Mariæ V. Immaculatæ.
Manifestationis B. Mariæ V. Immaculatæ, a Sacro numismate.
Commemoratio Omnium Ss. Summorum Pontificum.

Item alia quæcumque Festa sive Domini, sive B. Mariæ V., sub aliquo peculiari titulo, sive Sanctorum, præter eorumdem natalem diem, uti Inventionis Corporum, Translationis, Receptionis, Patrocinii, et hisce similia.

CAPUT V.

De Officiorum Sede.

39. Quemadmodum solius Apostolicæ Auctoritatis est honores Cælitum in terris decernere, cultumque ipsorum fidelibus permittere, aut jubere; ita illius est concedere Officia in eorumdem memoriam et laudem persolvenda, ipsis diem præstituendo, qua, vel universim, vel in particularibus locis, tam sancta atque salubris recordatio ab Ecclesia, singulis annis, fiat.

Huc igitur spectat Officiorum ordinatio, qua suam sedem illa sortiuntur, seu per dies distribuuntur infra annum, ita ut a die, cui unumquodque Officium assignatur, nefas sit illud dimovere, nisi aut Decretum Pontificium, aut Rubricarum regulæ id fieri concedant, vel statuant.

40. In primis recolendum est, quod jam admonuimus (n. 36), primævæ Ecclesiæ usum fuisse memoriam agendi mysteriorum Domini et B. Mariæ V., tum martyrii Sanctorum. Hujusmodi autem memoriæ celebrandæ illos invenimus statutos dies, in quibus mysteria divina fuisse impleta tradebatur, vel Sancti martyrium subierant [1].

Dein Ecclesia, auctis festis et Officiis, iisque ad Sanctos quoque non martyres extensis, pro iisdem celebrandis, nonnunquam dies designavit, qui nullo historico eventu ad mysteriorum vel Sanctorum recordationem referebantur; ita v. g. designavit feriam V. post festum SS. Trinitatis

1) Cf. **S. Cyprianus.** *Ep. 37*; **S. Jo. Chrysostomus.** *Hom. 26 sup. II. Corinth.*

pro festo SS. Corporis Christi, diem 4 Augusti pro festo S. Dominici, Dominicam I. Octobris pro solemnitate SS. Rosarii B. M. V., etc.

Porro dies, qua, aut ex rei veluti natura, idest ob historicum eventum, aut ex delectu Ecclesiæ, aliquod festum, sive immobile, sive mobile, celebrandum statuitur, dies *propria* nuncupatur, et Officium eidem festo respondens, quod in ea recitatur, *in die propria* recitari dicitur.

Aliquando tamen contingit Officium aliquod persolvi non posse die qua ejus festum occurrit, eo quod ab alio digniore impediatur, ut infra clarius patebit, et in die alia, a propria diversa, recitari debere. Hæc alia dies vocatur *non propria*; et siquidem impedimentum, propter quod Officii dies debuit mutari in non propriam, quotannis, seu perpetuo occurrat, eadem hæc dies non propria dicitur etiam dies *assignata*; si vero impedimentum est accidentale, seu non perpetuum, ea dies *translata* nuncupatur [1].

41. Ad Sanctos quod spectat, distinguenda est etiam eorum dies *natalitia* et *quasi-natalitia*; utraque tamen dies, juxta divisionem ante indicatam, est *propria*. Sanctorum natalitia non quidem illam diem indicant, qua in mundi hujus lucem editi fuerunt, sed illam, qua, vel martyrio, vel naturali morte, ad cælestem vitam migrarunt. *Ecclesia*, ait S. Augustinus, *natales vocat, pretiosas martyrum mortes* [2]. Et S. Ambrosius scribit: *Depositionis ipsa dies natalis dicitur, quo delictorum carcere liberati, libertati nascimur Salvatoris* [3].

1) Cf. S. R. C. Decr. Gener. 21 Nov. 1893, n. 3811, ad V.
2) **S. Augustinus**. *Serm. 113 de divers.*
3) **S. Ambrosius**. *Serm. de deposit. S. Eusebii.*

Usu autem liturgico semper receptum fuit ut Sanctorum nativitas temporalis, celebrari non debeat, excepta nativitate Deiparæ Virginis, nec non S. Joannis Baptistæ, quippe quæ sancta fuit et, diverso licet modo, ab originali peccato expers [1].

Idipsum confirmatur verbis, quibus concluditur prima strophes hymni in Officio Confessorum *Iste Confessor*, scilicet*: Hac die lætus meruit beatas — Scandere sedes.*

Verum' multiplici de causa, Ecclesia frequenter Sanctis colendis dies designavit diversos ab eorum natalibus. Dies autem hujusmodi, a natalitiis diversi, quos Ecclesia determinavit pro quibusdam festis Sanctorum, dicuntur *quasi-natalitii* et sic non sunt minus proprii quam natalitii; quare horum juribus fruuntur [2].

Huc spectat mutatio facienda in hymno *Iste Confessor*, cujus prima strophes, cum agitur de Sancto Confessore, de quo fit festum et persolvitur Officium in die quasi-natalitia, ita est concludenda: *Hac die lætus meruit supremos — Laudis honores*. (Cf. n. 22).

42. Innuimus jam (n. 40) nonnunquam Officium aliquod, propter occurrens in die propria impedimentum, esse in diem aliam non propriam transferendum.

1) S. R. C: 19 Dec. 1893, n. 3816.

2) Ita scimus S. Franciscum Salesium obiisse die 28 Decembris, et S. Basilium Magnum ad cælum migrasse die 1 Januarii; et tamen festum illius peragitur die 29 Januarii, hujus autem festum assignatum fuit diei 14 Junii. Quare isti dies habentur respective ceu quasi natalitii utriusque Sancti. Verum notamus festa *primaria* Sanctorum talia manere etiam quando ipsa extra diem natalitiam, vel quasi natalitiam, reponuntur.

Porro, si hæc translatio fieri debuit propter impedimentum, quod erat natura sua perpetuum, hoc, temporis lapsu, ob mutatas conditiones, cessante, Officium ut supra amotum a die propria, huic erit restituendum, sive ipsa sit dies natalitia, sive quasi natalitia (cf. n. 58). *Exemplum*: In Calendario universali, die 18 Martii, notatur festum S. Cyrilli Hierosolymitani, sub ritu Duplici minori, et pro aliquibus locis signatur, eadem die, festum S. Gabrielis Archangeli, sub ritu Duplici majori. Ubi hoc alterum festum celebratur, dicta die, debet ab hac amoveri et in alia assignari perpetuo Officium S. Cyrilli, cujus ritus inferior est. Si autem, temporis decursu, festum S. Gabrielis universæ præcipiatur Ecclesiæ et diversa dies eidem ab Apostolica Sede assignetur, dies 18 Martii libera maneret, quare ad hanc denuo restituendum esset Officium S. Cyrilli.

E contra, si ipsa Ecclesia per suum Decretum, ob causas sibi benevisas, ut supra notavimus, diem festum aliquem mutat, nova dies designata fit propria, nec amplius ad diem pristinum et festum et respondens Officium est restituendum.

43. Multum etiam interest ad tempus attendere, quo eduntur Decreta, quibus R. Pontifex dies pro festis colendis designat. Prout enim infra videbimus, cum duo, vel plura festa horumque Officia in die eadem suam vindicant sedem, ceteris conditionibus paribus exstantibus, illud est præferendum quod prius fuerat concessum, aliis ad aliam diem remissis. (cf. n. 54).

TITULUS III
DE RELATIONIBUS OFFICIORUM INTER SE

PRÆNOTANDA.

44. Persæpe contingit duo, vel plura diversa Officia, eadem die, ex toto, vel ex parte, sibi vindicare sedem et secum veluti confligere. Id præsertim accidit quia, præter Officia affixa diebus, prout hi numerice dispositi habentur per menses, infra annum civilem, alia quoque existunt Officia mobilia, seu nullis determinatis mensium diebus, sed Dominicis, vel feriis assignata, quarum positio pendet ab occursu Paschatis, ideoque singulis annis mutatur.

Insuper, præter Officia, quæ toti Ecclesiæ sunt præscripta, et alia habentur concessa particularibus regionibus, aut Diœcesibus, quæque illorum locum occupare deberent.

Item, haud raro, in universali Calendario sunt festa ritus Simplicis, quæ nonnisi per commemorationem in Officio alterius festi, eadem die occurrentis, coluntur. Verum hæc festa, in locis quibusdam, ritum altiorem obtinent, v. g. quia agitur de Titularibus, Patronis, etc., quo casu, non quidem solam commemorationem, sed integrum Officium sibi vindicant, quod ideo cum Officio alterius festi, die eadem, ut diximus, occurrentis, veluti confligit.

In his omnibus casibus habetur ea quæ liturgice vocatur Officiorum *occurrentia*.

Præterea, prout supra admonuimus (n. 37), Officia ritu Duplici, vel Semiduplici insignita, primas et secundas habent Vesperas. Quare secundæ unius Officii Vesperæ cum primis Vesperis Officii subsequentis sæpe contendunt.

In hoc casu *concurrentia* Officiorum locum habet.

45. Quando occurrentia obtinet, posito principio, quod unum tantummodo est persolvendum, unaquaque die, integrum Officium, sequitur, ex pluribus Officiis simul occurrentibus, unum dumtaxat ea die esse recitandum, cetera vero vel omittere prorsus, vel ad diem aliam amandare, vel, die qua occurrunt, reducere ad solam commemorationem, ac si eorum ritus esset Simplex, oportere (cf. n. 37).

Quando autem habet locum concurrentia, posito pariter principio, quod unicæ Vesperæ sunt dicendæ, sequitur, aut alterutrius tantum Officii Vesperas esse persolvendas, alterius autem esse die eadem penitus omittendas; aut Vesperas esse dimidiandas, scilicet usque ad Capitulum spectare ad Officium cujus secundæ Vesperæ dicuntur (Officium *præcedens*), a Capitulo et deinceps spectare ad Officium, cujus Vesperæ primæ recitantur (Officium *sequens*); aut demum, alterutrius Officii Vesperis integris persolutis, alterius commemorationem tantum fieri debere.

46. Patet igitur nobis esse hic regulas exponendas, juxta quas dirimi possunt conflictus, qui inter Officia contingunt, et hæc ordinantur in Calendario, sive generali, sive particulari locorum; nempe agendum est de Officiorum occurrentia, translatione, repositione et concurrentia.

CAPUT I.

De occurrentia Officiorum.

47. *Occurrentia* est duorum, vel plurium Officiorum, eadem die, obviatio.

Dividitur in *perpetuam* et *accidentalem*. Perpetua est cum duo, vel plura Officia quotannis in eamdem diem incidunt, quod nonnisi inter Officia fixa contingere potest. Accidentalis est cum Officiorum incidentia in eamdem diem obtinet aliquando, scilicet occurrente Officio fixo cum alio Officio mobili.

Exemplum occurrentiæ perpetuæ: In Calendario universali, diei 23 Januarii est assignatum festum S. Raymundi de Pennafort; pro aliquibus autem locis, eidem diei affixum est festum Desponsationis B. Mariæ V. Ubi igitur hoc alterum festum celebrari permittitur, cum priore quotannis ipsum occurrere contingit.

Exemplum occurrentiæ accidentalis: Diei 25 Aprilis est assignatum festum S. Marci Ev. Aliquando in diem illam incidit festum Paschatis, quod ideo, hac tantum vice, cum festo priore occurrere dicendum est.

Regulas igitur hic exponimus, quibus determinatur quale, ex pluribus occurrentibus Officiis, aliis prævaleat, ita ut illud tantum sit integre recitandum.

Notamus hujusmodi regulas utrique occurrentiæ, nempe tum perpetuæ, tum accidentali, esse communes, et ita dispositas haberi, ut a qualibet ex illis ad subsequentem non procedatur, nisi cum antecedens applicari non potest.

48. Regula I. *Privilegium.* — Nonnulla existunt Officia ita privilegiata, ut præferri debeant cuicumque Officio cum ipsis occurrenti. Hæc sunt Officia: Dominicarum majorum I. classis (cf. n. 31); feriarum privilegiatarum (cf. n. 32); vigiliarum Nativitatis Domini et Pentecostes; festorum solemniorum tum universalis Ecclesiæ, tum locorum particularium (cf. n. 33), ita tamen ut universalia particularibus prævaleant.

Insuper, sunt quædam Officia, quæ non cedunt nisi occurrentibus Duplicibus I. classis, ceteris autem semper præferuntur. Hæc sunt Officia: Dominicarum majorum II. classis (cf. n. 31); dierum infra octavam Epiphaniæ et diei octavæ Corporis Christi.

Demum, dies octava communis, licet ejus ritus sit Duplex minor, cedit tantum occurrentibus Officiis ritus Duplicis I. et II. classis; ideoque præfertur Officiis quibuscumque ritus Duplicis etiam majoris [1].

49. Regula II. *Ritus.* Si nulli ex occurrentibus Officiis competit privilegium, de quo in præcedenti regula, attendendum est ad ritum, quo Officia potiuntur. Illud autem Officium præstare et vincere oportebit, quod altiore præ aliis insignitur ritu. Quare, incidentibus in eamdem diem duobus festis, altero ritus Duplicis I. classis, altero autem ritus

1) Idque etsi de uno eodemque Sancto sit tum Officium diei octavæ, tum Officium simul occurrens. S. R. C. 20 Aug. 1901, ad II. Unde amplius non sustinetur contrarium quod dicit **Al. a Carpo** *Comp. Bibl. Lit. P. II. c, X. n. 148 (I).* — Quod si, occurrente die octava Nativitatis B. M. V. cum festo SS. Nominis ejusdem, hujus quidem, non illius peragitur Officium, hoc est ex Rubrica speciali, quare ad exemplum trahi non debet.

Duplicis II. classis, si hoc non est unum ex privilegiatis, indicatis in prima regula, prioris Officium erit persolvendum.

50. Regula III. *Qualitas*. Ex duobus Officiis, quorum nullum sit privilegiatum, utriusque autem par sit ritus, sed diversa qualitas (cf. n. 33), si die eadem ambo occurrunt, illud prævalet quod est primarium, illud cedit quod secundarium est, quamvis forte potior dignitas objectiva insit huic quam illi. *Exemplum*: Si die 21 Martii, qua sedem propriam habet Officium S. Benedicti Abbatis, ritus Duplicis majoris, occurrit feria VI. post Dominicam Passionis, qua sedem habet officium Septem Dolorum B. Mariæ V., pariter ritus Duplicis majoris, illud, utpote primarium, prævalet huic, quod est secundarium, quamvis posterioris dignitas sit potior.

Est igitur consulendus Catalogus, a nobis supra insertus (n. 38), ut ex eo qualitas innotescat Officiorum, in præsenti regula spectanda.

51. Regula IV. *Dignitas insignis*. Incidentibus in eamdem diem duobus Officiis non privilegiatis, ejusdem ritus et ejusdem qualitatis, illud vincit, cujus objectum habet dignitatem insignem, præ alio, cujus objectum vel nullam, vel minorem præsefert insignem dignitatem (cf. n. 33). *Exemplum*: Si die 3 Maji, qua Officium persolvendum est Inventionis S. Crucis, ritus Duplicis II. classis et secundarium, occurrat Dominica III. post Pascha, cui est adnexum Officium Patrocinii S. Joseph Sponsi B. M. V., non secus ac illud, ritus Duplicis II. classis et secundarium, primum præfertur alteri, quia, utpote ad Dominum spectans, majoris est dignitatis insignis præ isto.

52. Regula V. *Stabilitas*. Secluso Officiorum

simul occurrentium privilegio, et posita ipsorum paritate quoad ritum, qualitatem ac dignitatem, si eorum unum est fixum, alterum est mobile, isti illud præfertur.

Hoc tamen intellige de Officiis quæ stricto sensu sunt mobilia, vel his accensentur, non vero de mobilibus improprie dictis, quæ vidimus (n. 33) fixorum jura sibi vindicare. *Exempla*: Si alicubi indultum fuit festum mobile Patrocinii B. Mariæ V. celebrari posse Dominica IV. Septembris, illius Officio occurrente aliquando die 24 ejusdem mensis, cui festum fixum et Officium est assignatum B. Mariæ V. de Mercede, oportet illud huic cedere locum, utut ambo sint æqualis ritus, qualitatis et dignitatis. E contra, Dominica infra octavam Assumptionis B. Mariæ V. persolvendum est Officium mobile S. Joachim, licet ea die occurrat Officium fixum alterius Sancti, ejusdem ritus, qualitatis et dignitatis; quum enim Officium S. Joachim sit mobile lato sensu, fixorum jura sibi adsciscit, et quoniam feriationem secum habet, ideo, cum cetera sint paria, alteri Officio præfertur [1].

53. Regula VI. *Proprietas*. Officium quod proprium est, vel magis proprium alicujus Ecclesiæ, ceteris conditionibus paribus exstantibus, alteri Officio universali, vel minus proprio præfertur, quod cum illo occurrit. Non tamen qualiscumque atten-

1) Cf. *Ephem. Liturg. an. 1903, pag. 24 seqq.* Etsi in Rubricis nulla explicite tribuatur prælatio festis ob solam adnexam feriationem, illam tamen concedi posse eruitur ex Decreto Gener. S. R. Congregationis 4 Febr. 1896, n. 3881, quo principium statuitur festum Dedicationis Ecclesiæ propriæ aliis locorum festis præferri, sed additur: « permitti nihilominus, ut Patroni festum, cujuscumque sit personalis dignitatis, *ratione feriationis*, prædicto Anniversario præferatur. »

ditur proprietas, qua prælatio unius Officii determinatur, sed ea tantum, quæ attinentiam dicit ad particularem Ecclesiam, Ordinem, locum, etc., prout animadvertimus n. 33.

Ordo autem, qui magis vel minus proprium Officium determinat, exhibetur in Decreto S. R. Congregationis, quod ait : « Primum locum habebit Officium Ecclesiæ particularis ; secundum, Ordinis, seu Religionis ; tertium, Diœcesis ; quartum, Nationis ; quintum, Ecclesiæ universalis [1]. » Verum hoc nequaquam detrahit privilegio omnimodæ prælationis, quod competit Officiis festorum solemniorum universalis Ecclesiæ, juxta regulam primam. (cf. n. 48).

54. Quod si, ob paritatem omnium conditionum, nequeat, juxta expositas regulas, conflictus Officiorum dirimi, potest, in occurrentia perpetua tantum, non vero in accidentali, recursus fieri ad tres regulas, quæ sequuntur :

Regula I. *Dies propria.* Officium, quod recitandum est die propria, scilicet natalitia, vel quasi natalitia, præfertur Officio pro quo dies eadem est tantum assignata (cf. n. 40).

Regula II. *Dignitas exigua.* Hæc prælationem tribuit Officiis, secundum ordinem quem exposuimus n. 33. Unde Officium Martyrum præfertur Officio Confessorum et hoc præfertur Officio Virginum.

Regula III. *Antiquitas.* Quo antiquius est Officium aliquod, eo magis censetur dignum, aliisque posterioribus est præferendum (cf. n. 43.)

55. Quemadmodum plura festa, ita et plures octavæ possunt simul occurrere. Et sane, in Ca-

1) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2319, reliq. dub. ad I.

lendario universali occursus habetur octavarum S. Joannis Baptistæ et SS. Petri et Pauli Ap.; item S. Laurentii et Assumptionis B. Mariæ V.

Jamvero pro octavis simul occurrentibus hæc statuitur regula : Quo jure unius festi Officium, Officio festi alterius præfertur, eodem jure Officium octavæ priori festo adnexæ, Officio octavæ festi posterioris propriæ est præferendum ; et siquidem utriusque octavæ sola fiat commemoratio, hæc de octava illa prius fit, cujus Officium prælationem haberet. *Exemplum*: Sit S. Eusebius, cujus festum agitur die 14 Augusti, Titularis cujusdam Ecclesiæ, in qua igitur cum octava celebratur. Die 16 subsequenti, in Officio occurrenti, facienda est commemoratio prius octavæ Assumptionis B. M. V., dein octavæ S. Eusebii, tertio octavæ S. Laurentii. Nam octava Assumptionis præfertur ceteris, ratione insignis dignitatis ; octava S. Eusebii præfertur octavæ S. Laurentii, quia magis propria. Quod si dicta dies 16 libera esset a quovis Officio, in ea persolveretur Officium de octava Assumptionis, cum commemoratione octavarum S. Eusebii et S. Laurentii.

CAPUT II.

De Translatione Officiorum.

56. *Translatio* est : Officii amotio a die propria in aliam diem non propriam, ob impedimentum in illa occurrens.

Quoniam vero impedimentum, vel quotannis, vel aliqua tantum vice, scilicet per annorum intervalla, occurrere potest, ideo translatio duplex distinguitur, *perpetua* nempe et *accidentalis*.

Translatio autem Officii a propria in aliam diem, si est perpetua, vocatur *assignatio*, si est accidentalis, *repositio* nuncupatur.

57. Translationis, sive perpetuæ, sive accidentalis, nullo gaudent jure Officia dominicalia, ferialia et vigiliarum; Officia concessa cum clausula *ad libitum* (cf. 33); Officia stricto sensu mobilia, vel quæ his accensentur, et fuerunt concessa aliquibus locis, sine præcepto et sine expresso indulto translationis [1] (cf. n. 33); Officia dierum octavarum et infra octavas, etiamsi festum in diem aliquam post suam octavam transferri contingat, nisi ex privilegio aliter fieri liceat [2].

58. Transferri in perpetuum valent cetera Officia ritus Duplicis I. et II. classis, majoris et minoris, atque Semiduplicis, sive immobilia, sive lato sensu mobilia, vel etiam vere mobilia, si pro his ultimis indultum translationis præsto sit.

Pro singulis autem Officiis translatis, assignanda est ab Episcopo Diœcesis, vel a Superiore Ordinis, aut saltem de horum mandato, dies fixa, quæ perpetuo sit illorum propria.

Quod si temporis lapsu, impedimentum, cujus causa translatio facta fuit, perpetuo cessare con-

1) Quare transferri possunt festa sive Domini, sive B. Mariæ V., sive Sanctorum assignata Dominicis, vel feriis, si sunt universalia, ut v. g. festa SS. Cordis Jesu, SS. Rosarii B. M. V., Patrocinii S. Joseph, etc., vel etiam si sunt particularia, sed præceptiva, ut v. g., festum Dedicationis propriæ Ecclesiæ. Cf. S. R. C. 17 Julii 1903, ap. *Acta S. Sedis vol. XXXVI, pag. 616.*

2) Tale privilegium habet octava Titularis Ecclesiæ, vel Patroni loci, quæ in translatione perpetua, non autem in accidentali, sequitur suum festum.

tingat, Officia amota debent ad diem pristinum restitui [1] (cf. n. 42).

59. Dies quibus possunt assignari Officia perpetuo translata sunt: 1° Dies omnes, qui post diem propriam usque ad exitum illius anni, seu usque ad diem 31 Decembris, non inveniuntur occupati ab aliquo Officio novem lectionum; 2° dies infra octavas communes, in quibus fit Officium de octava; 3° dies infra octavam privilegiatam Epiphaniæ, pro assignandis tantummodo Officiis ritus Duplicis I. classis.

Verum, pro unoquoque Officio translato, prima dies libera est assignanda. Alteri diei, ultra primam liberam, assignatio fieri nequit, nisi auctoritate Apostolicæ Sedis.

60. Translationis accidentalis jure potiuntur Officia ritus Duplicis I. et II. classis, atque majoris; non autem Officia ritus Duplicis minoris, nisi sint Sanctorum Ecclesiæ Doctorum [2]. Multo minus transferuntur quæ sunt inferioris ritus.

Patet igitur non omnia Officia, quæ perpetuæ translationis jure pollent, accidentaliter quoque posse transferri; hoc enim altero modo minime amoventur Officia ritus Semiduplicis, neque ritus Duplicis minoris, nisi hæc sint Sanctorum Doctorum.

Insuper adverte, Officia quæ, ob perpetuam translationem, fuerunt diei alicui assignata, posse denuo accidentaliter ad aliam diem transferri, si aliquando, ob occursum dignioris Officii, impediantur, dummodo tamen sint ex illis, quæ translationis

1) S. R. C. 27 Junii 1896, n. 3919, ad I.

2) Attamen S. Ecclesiæ Doctorum festa primaria tantum, non autem secundaria, jus habent translationis. S. R. C. 4 Mart. 1901, ad X. ap. *Ephem. Liturg. an. 1901, pag. 335.*

accidentalis jure gaudent. *Exemplum*: Ubi celebratur, die 18 Martii, festum S. Gabrielis Archangeli, concessum pro aliquibus locis, debet ab hac die removeri Officium S. Cyrilli Hierosolymitani, Ep. Conf. et Doctoris, quod in diem aliam perpetuo assignatur. Si aliquando, quod accidere potest, in hanc aliam diem incidat Dominica aliqua ex privilegiatis, puta Palmarum, idem Officium S. Cyrilli, quoniam transferibile est, utpote Sancti Doctoris, denuo, pro ea vice, transfertur. Si autem non esset Sancti Doctoris, novæ translationis jure non gauderet, sed simplificaretur.

61. Dies in quibus reponi valent Officia accidentaliter translata sunt: 1° Dies qui, post diem propriam, usque ad exitum anni, seu usque ad diem 31 Decembris, vacui inveniuntur ab Officiis ritus Duplicis, vel Semiduplicis, vel Simplicis alicujus feriæ privilegiatæ (cf. n. 32); 2° dies infra octavas communes, siquidem in his Officium fiat de octava; 3° dies infra octavam privilegiatam Corporis Christi, in quibus de octava fiat, sed tantummodo pro reponendis Officiis ritus Duplicis I. et II. classis; 4° dies 30 Decembris, quando in ea fit Officium de octava Nativitatis Domini, ut infra videbimus.

Hic etiam regula valet jam tradita, videlicet unumquodque Officium translatum reponendum esse in prima die libera.

62. Quando plura Officia simul transferenda sunt, sive perpetuo, sive per accidens, non quidem pro lubito sunt suis locis assignanda, vel in eis reponenda, sed juxta ordinem dignitatis uniuscujusque propriæ. Hic ordo ex iisdem regulis desumitur, quas pro occurrentia et translatione Officiorum supra tradidimus. Scilicet, primo assignan-

tur, vel reponuntur Officia ritus altioris; secundo, in paritate ritus, Officia primaria præ secundariis; tertio, in paritate ritus et qualitatis, quæ sunt majoris dignitatis insignis, præ iis quæ minoris sunt, vel nullius insignis dignitatis; quartò, in paritate etiam dignitatis, ordo servabitur quo erant persolvenda in propriis diebus, prout nempe in Calendario perpetuo inveniuntur descripta; ad ceteras enim regulas occurrentiæ hic non attenditur.

63. Nonnullæ exceptiones ab antedictis legibus dantur, videlicet:

I. Officium festi octavam habentis, infra octavam eamdem, si dies libera exstat, transferendum est, et reponendum ante cetera Officia pariter translata, utut hæc præstantiora sint, sive ritu, sive qualitate, sive dignitate. Quod si nulla dies libera exstat, reponendum est festum illud in ipsa die octava, licet hæc in Dominicam incidat, dummodo tamen, in hoc altero casu, non occurrat in eadem Dominica aliud festum, quod sit die ipsa octava, vel ritu, vel qualitate, vel dignitate superius [1].

II. Officia translata festorum ritus Duplicis I. et II. classis, si pro eis reponendis dies liberi in

1) S. R. C. 23 Apr. 1895, n. 3853. Vide interpretationem hujus Decreti datam ab *Ephem. Liturg. an. 1902, pag. 501, seqq.,* juxta quam, festum habens octavam potest transferri in Dominicam infra eamdem octavam, dummodo hæc Dominica non sit una ex privilegiatis I. vel II. classis, vel in ea non occurrat aliud festum quod potius sit, vel ritu, vel qualitate, vel dignitate, ipsa die octava. Quare si, v. g., festum S. Andreæ Ap. (30 Nov.) incidit in Dominicam I. Adventus, huic illud cedere debet et transferri. Ubi idem Apostolus est Titularis Ecclesiæ, ejus Officium potest reponi in die aliqua infra octavam, quæ tamen sit libera ad recipienda Officia translata. At si nulla ex his diebus libera inveniatur, prædictum Officium reponi nequit in Dominica subsequenti, quia, utpote privilegiata II. classis, illud respuit.

decursu anni non suppetunt, reponi debent in diebus subsequentibus proximioribus, quæ occupantur ab Officiis ritus Semiduplicis, vel etiam, his absolutis, ritus Duplicis minoris, non tamen Doctorum Ecclesiæ [1]. Hoc in casu, hujusmodi Officia ritus Semiduplicis, vel etiam Duplicis minoris, simplificantur et per solam commemorationem aguntur, vel prorsus omittuntur, juxta diversum ritum Officii repositi.

III. Officia festorum ritus Duplicis majoris, vel Duplicis minoris Doctorum Ecclesiæ, si, casu translationis, diem liberam, ubi reponantur, non inveniant, aguntur sua die per solam commemorationem, quæ etiam omittitur, si festum occurrens, quod eis impedimentum præstat, est ritus Duplicis I. classis.

IV. Nonnulla sunt Officia, pro quibus reponendis, quatenus die propria impediantur, sunt jam designati dies, a quibus idcirco sunt amovenda, vel in eis simplificanda alia Officia occurrentia, præcise ut in iisdem diebus priora illa possint reponi, si quando accidentaliter ea transferri contingat. Sunt autem: Pro S. Nomine Jesu, dies 28 Januarii; pro Purificatione B. Mariæ V., dies 3, vel 4 Februarii; pro S. Joseph, dies 20 Martii, vel, si incidit in Majorem Hebdomadam, feria IV. post Dominicam in Albis; pro Annuntiatione B. Mariæ V., dies 26 Martii, vel, si incidit in Majorem Hebdomadam, aut Paschalem, feria III. post Dominicam in Albis; pro SS. Corde Jesu et Nativitate S. Joannis Baptistæ, dies immediate sequens; pro Pretiosissimo Sanguine, prima dies non impedita a festo ritus Duplicis I. vel II. classis; pro

1) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3756. Ibi notatur, in hujusmodi selectione dies esse præferendos in quibus sunt Officia cum clausula *ad libitum*.

VII. Doloribus B. Mariæ V. in feria VI. Passionis, dies quæ sequitur; pro eodem festo in Dominica III. Septembris, I. Dominica libera ante Adventum; pro Commemoratione omnium fidelium Defunctorum, dies 3 Novembris [1].

Animadvertimus, has translationes determinatis sub clausulis esse peragendas, quæ legi possunt in Rubricis specialibus respective positis in Breviario, ad singula Officia supra enumerata.

APPENDIX.

64. Ut citius innotescat quid sit servandum in occurrentia Officiorum accidentali, secundum traditas a nobis regulas, tabulam hic adnectimus, quam ab initio exhibet Breviarium Romanum.

Notamus tamen hanc tabulam nonnisi pro occurrentia accidentali, non vero pro occurrentia perpetua inservire; nam juxta eam, Officia ritus Semiduplicis, vel Duplicis minoris, si occurrunt cum Officiis ritus altioris, non transferuntur, sed vel simplificantur, vel penitus omittuntur. E contra, scimus dicta Officia, in occurrentia perpetua, transferri posse et debere.

Notamus quoque in nonnullis quadrangulis nullum inveniri numerum et hujus loco poni signum *O*. Id significat vel nullum in casu haberi conflictum, vel in Breviario, propriis in locis, indicari quid sit agendum.

1) Officia Passionis, quæ tempore quadragesimali obtinent singulis feriis sextis, utpote mobilia, nonnisi ex indulto possunt transferri, et quatenus translatio indulgeatur, hæc non ultra Quadragesimam potest fieri. S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2883, ad VI. et 14 Junii 1845, n. 2902, ad II.

SI OCCURRAT EODEM DIE

	" Vigilia.	" Feria major.	" Sancta Maria in Sabbato	" Simplex.	" Semiduplex.	" Dies Octavæ.	" Dies intra Octavam.	" Duplex per Annum minus.	" Duplex Doctoris Ecclesiæ.	" Duplex per Annum majus.	" Duplex secundæ classis.	" Duplex primæ classis.	" Dominica per Annum.	" Dominica secundæ classis	et Dominica primæ classis.
Duplex primæ classis . .	6	4	0	6	6	4	6	6	2	2	2	8	4	4	1
Duplex secundæ classis .	4	4	0	4	4	4	6	4	2	2	8	1	4	1	1
Duplex per Annum majus	4	4	0	4	4	1	4	4	2	8	1	1	4	1	1
Duplex Doctoris Ecclesiæ	4	4	0	4	4	1	4	0	0	1	1	1	4	1	1
Duplex per Annum minus	4	4	0	4	4	3	4	7	0	3	3	5	4	3	3
Dies infra Octavam . . .	4	4	0	4	3	3	7	3	3	3	5	5	3	3	3
Dies Octavæ	4	4	0	4	4	7	4	4	2	2	3	3	4	3	3
Semiduplex	4	4	0	4	7	3	4	3	3	3	3	5	3	3	3
Simplex	3	3	3	0	3	3	3	3	3	3	3	5	3	3	3
S. Maria in Sabbato . .	5	5	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Feria Major	6	0	6	4	3	3	3	3	3	3	3	3	0	0	0
Vigilia	0	5	6	4	3	3	3	3	3	3	3	5	0	0	0

1. Translatio de primo, Officium de secundo.
2. Officium de primo, Translatio de secundo.
3. Commemoratio de primo, Officium de secundo.
4. Officium de primo, Commemoratio de secundo.
5. Nihil de primo, Officium de secundo.
6. Officium de primo, nihil de secundo.
7. Officium de digniori Commemoratio de minus digno.
8. Officium de digniori, Translatio de minus digno.

CAPUT III.

De Officiis quæ non transferuntur.

65. Juxta ea, quæ supra diximus (n. 57, 60), non omnia Officia jure translationis vel perpetuæ, vel accidentalis, potiuntur. Priore enim privantur ea quæ ritus sunt Simplicis; posteriore privantur quoque ea quæ sunt ritus Semiduplicis et Duplicis minoris Sanctorum non Doctorum.

Modo iniquiritur quid sit agendum quoad hujusmodi Officia, quæ, ob occurrentiam Officii potioris, huic locum cedere debent, neque exinde transferri valent ad aliam diem.

His autem in adjunctis duæ tantum hypotheses, ut jam innuimus (n. 45), dari possunt: altera, quod Officium impeditum debeat prorsus omitti; altera, quod ejusdem commemoratio tantummodo fiat, ita ut ritus, quem habet, Semiduplex, vel Duplex, ad instar Simplicis reducatur (cf. n. 37, 45).

66. Porro, si Officium occurrens et prævalens est ritus Duplicis I. classis, alterius Officii pariter occurrentis, sed non transferibilis, nihil prorsus fit, et quidem ipsum omittitur vel in perpetuum, vel pro vice tantum, prout occurrentia est vel perpetua, vel accidentalis.

Excipe Officia Dominicæ cujuscumque, feriæ majoris (cf. n. 32), diei octavæ etiam communis et diei infra octavas privilegiatas (cf. n. 34); hæc enim Officia semper commemorationem habent, etiam in festis ritus Duplicis I. classis.

Adverte Dominicas privilegiatas, quæ I. classis sunt, sed ritus Semiduplicis (cf. n. 37), nullius occurrentis Officii excludere commemorationem.

67. Si Officium occurrens et prævalens est ritus Duplicis II. classis, alterius Officii pariter occurrentis, sed non transferibilis, si hujus ritus est Simplex, fit ejus commemoratio in Laudibus tantum [1]; si ritus est Duplex, vel Semiduplex, simplificatur, ejusque fit commemoratio et in Laudibus et in utrisque Vesperis.

Excipe Officium diei infra octavam communem, de quo nihil fit occurrente Officio ritus Duplicis II. classis. Unde in festo Visitationis B. Mariæ V. quod agitur die 2 Julii, sub ritu Duplici II. classis, nulla commemoratio fit de die infra octavam SS. Petri e Pauli Apostolorum.

Etiam Dominicæ privilegiatæ II. classis, quæ omnes sunt ritus Semiduplicis, quascumque commemorationes recipiunt.

68. Si Officium occurrens et prævalens est ritus Duplicis majoris, vel infra, alterius Officii inferioris pariter occurrentis, sed non transferibilis, sive Simplex sit, sive simplificatum, fit commemoratio tum in Laudibus tum in Vesperis; et quidem, si Simplex est, in primis Vesperis tantum, si est simplificatum, in utrisque commemoratio obtinet [2].

69. Quando plura Officia simul occurrunt, quorum facienda est commemoratio, hæc fieri debet juxta sequentem ordinem : 1° de Dominica privilegiata ; 2° de die octava ; 3° de Duplici majore

1) Commemoratio Simplicis facta ad Laudes tantum, in Officio ritus Dupllcis II. classis, obtinet etiam in Missis privatis, quæ dicto Officio respondent, non autem in Missa solemni. Cf. *Liturg. Missæ* n. 66.

2) Attamen festum ritus Duplicis, vel Semiduplicis, ac dein *perpetuo* simplificatum, v. g. quia ejus repositioni locus nunquam suppetit in decursu anni, considerari debet uti *Simplex*; quare secundis Vesperis carebit. S. R. C. 7 Dec. 1900, ap. *Ephem. Liturg. an. 1901. pag. 65.*

simplificato; 4° de Duplici minore simplificato; 5° de Dominica minore; 6° de die infra octavam Corporis Christi; 7° de Semiduplici simplificato; 8° de die infra octavam communem; 9° de feria majore, vel vigilia; 10° de Simplici.

Quomodo commemorationes peragantur vidimus supra (n. 28).

70. Generatim, Officium cujus commemoratio obtinet, suam habet IX. lectionem, quæ legitur in III. nocturno Matutini, ultimo loco. Et quando plura simul Officia occurrunt cum illo quod integrum persolvitur, ex illis, quod præstantius est sibi vindicat IX. lectionem, si eam habet. Omnibus tamen semper præfertur IX. lectio occurrentis Dominicæ, vel feriæ majoris, vel vigiliæ (cf. n. 25).

His in casibus omittitur IX. lectio propria Officii recitati, ut in ejus loco ponatur IX. lectio alterius Officii, cujus commemoratio peragenda est. Attamen aliquando Rubrica specialis Breviarii notat IX. lectionem Officii recitati minime esse omittendam, sed lectioni VIII. adjungi debere, ita ut ex utraque una fiat. Si vero Rubrica hanc unionem non præscribit, ea nihilominus semper convenientius fit, imo fieri debet si lectiones conjungendæ sunt historicæ, scilicet si rem continent, quæ spectat ad historiam Sancti, vel mysterii, de quibus est Officium [1].

E contra, aliquando, etsi Officium, cujus peragitur commemoratio, IX. lectionem habeat, hæc tamen non legitur, quia Officii recitati qualitas eam excludit.

1) S. R. C. 8 Aug. 1835, n. 2735, ad II.

CAPUT IV.

De Concurrentia Officiorum

71. *Concurrentia*, est: Obviatio duorum, vel plurium Officiorum in Vesperis.

Prout enim animadversum jam fuit (n. 37, 45), Officia ritus Duplicis et Semiduplicis generatim tum primas, tum secundas habent Vesperas. Quare contingit secundas unius Officii Vesperas veluti confligere cum Vesperis primis Officii diei sequentis, eamdemque sibi vindicare sedem.

Regulas igitur hic exponimus, quibus dirimitur conflictus hujusmodi, atque determinatur de quo Officio, cum altero confligente, seu concurrente, Vesperæ sint persolvendæ.

72. Regula I. *Privilegium.* Festa solemniora universalia, quæ ritu gaudent Duplici I. classis, videlicet: Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis cum duobus sequentibus diebus, Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis B. Mariæ V., Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Joseph Sponsi B. Mariæ V., Ss. Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum; item festa solemniora particularia ejusdem ritus, scilicet: Dedicationis propriæ Ecclesiæ, Patroni loci et Titularis Ecclesiæ, utrasque Vesperas integras semper sibi vindicant, si concurrant cum quocumque alio festo.

Ex festis tamen supra indicatis, ea quæ universalia sunt, si concurrant cum particularibus, adhuc integras habent Vesperas.

Exempla: Concurrente festo Dedicationis Ecclesiæ propriæ, vel Patroni loci, vel Titularis, cum festo

alterius Sancti, supra non recensiti, qui colitur eodem ritu Duplici I. classis, Vesperæ erunt integræ de priore festo; et concurrente festo Assumptionis B. Mariæ V. cum festo Dedicationis, Patroni, vel Titularis, integræ dicentur Vesperæ de festo Assumptionis.

73. Regula II. *Ritus*. Quando præcedens et subsequens Officium sunt inæqualis ritus, Vesperæ dicuntur integræ de eo quod ritum habet altiorem.

Excipe dies octavas festorum primariorum Domini, quæ, licet sint ritus Duplicis minoris, in concursu tamen cum Officio ritus Duplicis etiam majoris, habent integras Vesperas. *Exemplum*: Concurrente die octava Ascensionis Domini, ritus Duplicis minoris, cum festo Apparitionis S. Michaelis Archangeli, ritus Duplicis majoris, Vesperæ integræ sunt de die octava, quia hæc pertinet ad festum primarium Domini.

Excipe quoque diem octavam Corporis Christi, quæ Vesperas integras sibi vindicat, etiam concurrente cum ea Officio sequentis festi SS. Cordis Jesu, ritus Duplicis I. classis.

74. Regula III. *Qualitas*. Si utriusque Officii concurrentis par est ritus, at diversa qualitas, seu unum est primarium, aliud secundarium, quod primarium est habet integras Vesperas, quidquid sit de alterius intrinseca dignitate. *Exemplum*: Concurrente festo S. Benedicti Abbatis (die 21 Martii), ritus Duplicis majoris et primario, cum aliquo ex Officiis Passionis D. N. J. C., quæ feriis sextis Quadragesimæ assignantur, ejusdem ritus Duplicis majoris, sed secundariis, Vesperæ integræ dicuntur de S. Benedicto.

75. Regula IV. *Dignitas*. Cum Officia concurrentia sunt paria et ritu, et qualitate, non autem

intrinseca dignitate, illud quod majorem dignitatem habet, integras quoque obtinet Vesperas. Hic tamen, ut jam pro occurrentia spectandum esse vidimus (n. 51), attenditur dignitas, quæ insignis est, non vero exigua (cf. n. 33).

Officia igitur Domini, si concurrant cum Officiis B. Mariæ V., integras exigunt Vesperas, licet ritu et qualitate sint æqualia. Et idem dicatur de Officiis B. Mariæ V. concurrentibus cum SS. Angelorum Officiis, et de his quando concurrunt cum Officio S. Joannis Baptistæ, ac deinceps.

76. Regula V. *Solemnitas*. Posita identitate tum ritus, tum qualitatis, tum dignitatis, si unum ex duobus concurrentibus Officiis celebretur magna cum solemnitate, de solemniore integræ dicuntur Vesperæ. Si utriusque Officii solemnitas est magna, etsi non æqualis, disparitas non attenditur, et tunc regula hæc non applicatur.

Magna autem solemnitas haberi dicitur, quando cum externo solemni apparatu atque populi concursu festum celebratur; tanto magis si huic festo adnexa quoque est feriatio [1]. In casu tamen quod unum festum celebretur solemniter in choro, at sine feriatione, et aliud cum illo concurrens feriationem habeat, non vero solemnitatem chori, neutri præferentia debetur [2].

77. Reliquæ regulæ, quas pro occurrentia exposuimus, minime applicantur in concurrentia [3].

Quapropter si nulla ex modo indicatis regulis aliquam tribuit in Vesperis uni Officio præ alio prælationem, ambo uti paria habentur, quo casu

1) S. R. C. 22 Aug. 1744, n. 2378, ad II.
2) S. R. C. 8 Apr. 1713, n. 2218, ad II.
3) S. R. C. 6 Maji 1899, n. 4021.

dividunt inter se Vesperas, quæ erunt usque ad capitulum exclusive de Officio præcedenti, deinceps, de sequenti (cf. n. 45).

Excipe Officium Dominicæ, ritus Semiduplicis, quod concurrens cum alio Officio, Semiduplicis itidem ritus, si hoc alterum est præcedens, dividit cum eo Vesperas, si autem est subsequens, Vesperas cum eo non dividit, sed integras habet.

78. Quando Vesperæ dimidiantur, Officii præcedentis, de quo prima pars Vesperarum persolvitur, seu usque ad capitulum, fit semper commemoratio, post orationem Officii de quo altera pars Vesperarum, seu a capitulo, perlegitur.

E contra, quando Vesperæ sunt integræ alterutrius Officii, alterius non fit semper commemoratio. Hanc enim respuunt primæ Vesperæ Officii ritus Duplicis I. classis, dummodo Officium præcedens non sit ritus Duplicis II. classis, aut diei octavæ Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis et Corporis Christi, aut Dominicæ majoris, aut feriæ majoris. Eam quoque respuunt secundæ Vesperæ ejusdem festi, si sequens est festum Simplex, aut dies infra octavam communem. Item primæ Vesperæ festi Duplicis II. classis non admittunt commemorationem præcedentis festi Semiduplicis, aut Dominicæ communis, aut diei infra octavam communem; et secundæ Vesperæ ejusdem festi non admittunt commemorationem sequentis diei infra octavam, si de ea non fit postridie Officium integrum.

Ordo servandus in commemorationibus, quando plures fieri contingit, ille est quem retulimus ubi de occurrentia (cf. n. 69).

79. Cum præcedens et subsequens Officium sunt de uno eodemque *objecto*, v. g. si sunt ambo de B. Maria V., licet sub diverso titulo, vel de Pas-

sione Christi Domini, vel de die infra eamdem octavam, siquidem imparia sint, Vesperæ dicuntur integræ de eo quod præstat aut ritu, aut qualitate, aut solemnitate; si vero sunt paria, Vesperæ fiunt integræ de præcedenti. In utroque autem casu non agitur alterius Officii commemoratio; idque ex notissimo principio *ne bis in idem*.

In festis tamen Domini attenditur identitas *objectiva*, non *subjectiva* tantum. Ita, v. g., festum S. Familiæ, si *subjectum* inspiciatur, veluti festum Domini habetur, quare aliis præfertur, quæ sunt ejusdem ritus et qualitatis, sed non Domini. Nihilominus, si attendatur ad *objectum*, non est festum Domini tantum, nam simul cum Jesu recolitur memoria B. Mariæ V. et S. Joseph, quapropter in concursu cum alio festo cujus subjectum est idem, ut puta festum Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti, objectum autem est diversum, ad hujusmodi identitatem non attenditur, et regulæ communes applicantur [1].

80. Duplicem casum, quem prætermisimus quando de hymnis fuit sermo (n. 21, 22), hic proponimus, quia, post dicta de occurrentia et concurrentia, magis fit perspicuus.

Casus alter versatur circa conclusionem propriam hymnorum, in Vesperis et Completorio; alter autem circa mutationem in prima strophe hymni *Iste Confessor*, in Vesperis.

Quoad primum casum, hæc teneantur:

1) Si unum tantum ex concurrentibus Officiis habet propriam hymnorum conclusionem, hæc usurpatur in hymno tum Vesperarum, tum Com-

1) Declaratum fuit identitatem, quæ commemorationem ad invicem excludit, habere festa et Officia SS. Sacramenti, Passionis, Crucis, SS. Redemptoris, SS. Cordis Jesu et Pretiosissimi Sanguinis. Cf. S. R. C. 3 Julii 1896, n. 3924. ad IV.

pletorii, sive de Officio eodem Vesperæ dicantur integræ, aut dimidiæ, sive sola fiat commemoratio [1]; imo etiamsi commemoratio Officii habentis propriam hymnorum conclusionem omittatur, dummodo hæc omissio fiat non quidem ratione ritus, sed tantum ratione identitatis objectivæ Officii concurrentis [2] (cf. n. 79). *Exempla*: Concurrente Officio votivo SS. Eucharistiæ, habente propriam hymnorum conclusionem *Jesu, tibi sit gloria*, cum Officio Nativitatis S. Joannis Bapt., hujus Vesperæ integræ dicuntur sub ritu Duplici I. classis, illius commemoratio nulla fit, ratione ritus, quare etiam conclusio propria ejus non usurpatur. E contra, concurrente eodem Officio votivo SS. Eucharistiæ cum festo S. Spineæ Coronæ D. N. J. C., hujus Vesperæ integræ dicuntur sub ritu Duplici majore, omissa illius commemoratione ob mysterii identitatem, quare conclusio propria ejus, *Jesu, tibi sit gloria*, adhuc dicenda est in iisdem Vesperis et Completorio.

2) Si utrumque Officium concurrens, propriam atque diversam habet hymnorum conclusionem, ea usurpatur in hymno tum Vesperarum, tum Completorii, quæ pertinet ad Officium de quo Vesperæ fiunt integræ, vel saltem a capitulo [3]. *Exemplum*: Concurrente die octava Ascensionis cum festo B. Mariæ V. sub titulo Auxilium Christianorum, Vesperæ sunt integræ de die octava, cum commemoratione B. Mariæ V., et in Completorio conclusio hymni erit ejusdem octavæ propria, scilicet *Jesu, tibi sit gloria — Qui victor in cœlum redis*, etc., non autem propria B. Mariæ V. scilicet: *Jesu, tibi sit gloria — Qui natus es de Virgine,* etc.

1) S. R. C. 3 Aug. 1901, ad III.
2) S. R. C. 5 Febr. 1895, n. 3844, ad VII.
3) S. R. C. 2 Julii 1901, ad II.

Quoad secundum casum, id est retinendum: Si festum Sancti Confessoris transferatur, juxta occurrentiæ leges, a die obitus in diem immediate sequentem, atque de Sancto translato Vesperæ primæ, quæ ideo in die obitus dicuntur, fiant aut integræ, aut saltem a capitulo, tum in his Vesperis, tum in reliquo Officio, quod postridie persolvitur, in prima strophe hymni *Iste Confessor* dicendum est *Meruit beatas*, etc.; ut, eo modo quo Officium est incœptum, etiam absolvatur. *Exemplum*: Dies 12 Martii est natalitia S. Gregorii I. Papæ et Ecclesiæ Doctoris, quare in ejus Officio, quod eadem die persolvitur, non mutatur strophes hymni *Iste Confessor*, sed legitur: *Meruit beatas*, etc. Si in prædictam diem incidat aliqua ex Dominicis privilegiatis Quadragesimæ, de hac debet Officium peragi, juxta regulam I. occurrentiæ (cf. n. 48), et Officium S. Gregorii transferendum est in primam diem liberam, quam hic supponimus esse diem 13 Martii. Porro hæc altera dies non amplius est ejusdem Sancti natalitia, ideoque in Officio strophes hymni *Iste Confessor* esset mutanda, et legi deberet: *Meruit supremos*, etc. Nihilominus, quoniam die 12, quæ natalitia est, dicuntur primæ Vesperæ integræ Sancti Gregorii, et in his strophes hymni non mutatur, præcise quia in die natalitia legitur, ideo etiam postridie nulla mutatio fit.

Item, si festum octavam habens transferatur a die obitus ad aliam diem infra eamdem octavam, in hac et reliquis octavæ diebus, qui supersunt, retinetur *Meruit beatas*, etc. Octava enim nil aliud est quam festi prosequutio, et ideo singuli dies infra octavam habentur tamquam dies natalitii, etiamsi a sua die natalitia festum ipsum amotum fuerit.

APPENDIX.

81. Quemadmodum pro occurrentia (cf. n. 64), ita et pro concurrentia tabulam subjungimus, quæ facili intuitu nobis indicat quomodo Vesperæ ordinari debeant.

QUANDO CONCURRIT

	Sancta Maria in Sabbato.	Die infra Octavam.	Die Octavæ.	Simplici.	Semiduplici.	Duplici per Annum minore.	Duplici per Annum majore.	Patrono seu Titulo Ecclesiæ.	Duplici secundæ classis.	Duplici primæ classis.	Dominica quacumque.
Domin. maj. seu I. et II. cl. cum	0	4	3	4	4	3	3	3	3	3	0
Domin. minor seu per Annum,	0	4	3	4	4	3	3	1	1	1	0
Duplex I. classis,	2	2	4	2	4	4	4	0	4	6	4
Duplex II. classis,	4	4	4	4	4	4	4	3	6	3	4
Patronus, seu Titularis Eccl.	2	2	4	2	4	4	4	0	4	0	4
Duplex per Annum majus,	4	4	4	4	4	4	6	1	3	1	4
Duplex per Annum minus,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Semiduplex,	4	5	3	4	5	3	3	1	1	1	5
Dies Octavæ,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Dies infra Octavam	0	0	3	4	5	3	3	1	1	1	5

1. Totum de sequenti, nihil de præcedenti.
2. Totum de præcedenti, nihil de sequenti.
3. Totum de sequenti, commemoratio de præcedenti.
4. Totum de præcedenti, commemoratio de sequenti.
5. Capitulum de sequenti, commemoratio de præcedenti.
6. Totum de digniori, commemoratio de minus digno.

Simplex, S. Maria in Sabbato, Feria et Vigilia non concurrunt.

CAPUT V.

De Calendario Ecclesiastico.

82. Postquam regulas tradidimus, quibus multiplex determinatur Officiorum inter se relatio, modum hic attingimus, quo eadem Officia ita sunt per singulos dies disponenda, ut seriem constituant juxta Rubricas ordinatam et norma certa exhibeatur omnibus, qui Horas canonicas recitare tenentur, ad satis muneri suo faciendum.

Hæc series ordinata Officiorum vocatur *Calendarium Ecclesiasticum*, vel *Directorium*, vel *Ordo*, et dividitur in *perpetuum* et *annuale*, in *universale* et *particulare*, seu *proprium*.

83. Calendarium *perpetuum* illud est, quod semel pro semper ab Apostolica Sede, vel pro tota Ecclesia, vel pro Ordine aliquo Religioso, vel pro quadam Diœcesi, fuit constitutum, vel adprobatum et exhibet festa et Officia, quæ singulis diebus anni fixe assignantur.

Calendarium *annuale* perficit perpetuum, quatenus huic addit, in eoque inserit et suis locis aptat Dominicas, singulas hebdomadæ ferias et festa omnia mobilia, prout singulis annis occurrunt, dependenter a festo Paschatis, vel a die mensis.

Calendarium *universale*, pro omnibus et singulis Ecclesiis valet, quæ ab ejus usu non sunt exemptæ, et esse potest vel perpetuum, vel annuale, juxta ante dicta.

Calendarium *particulare* vel *proprium*, illud est quod inserta habet festa et Officia concessa ex jure, vel ex indulto, alicui Religioso Ordini, vel alicui Diœcesi, aut particulari Ecclesiæ. Ita, ex

jure pertinent festa Patronorum, Titularium, Sanctorum quorum Reliquiæ insignes asservantur, etc.; ex indulto spectant plura festa et Officia mobilia, item ea quæ ritu altiore, vel cum octava celebrari alicubi permittuntur, etc.

Etiam Calendarium proprium potest esse perpetuum, vel annuale. Perpetuum nonnisi auctoritate S. Sedis confici vel edi potest; annuale conficitur et editur jussu superioris Ordinis, vel Episcopi Diœceseos, qui, vel per se, vel per redactorem a se electum, juxta Rubricas, vel speciales dispositiones, Ordinem Officii recitandi pro suis subditis, singulis annis, proponit.

84. Modus autem conficiendi Calendarium annuale proprium, hic est:

Signantur in folio tres columnæ, in quarum prima describuntur dies uniuscujusque mensis, una cum festis atque Officiis, quæ diebus singulis in Calendario proprio perpetuo assignata fuerunt; in secunda vero, respective ponuntur Dominicæ, feriæ, vigiliæ, aliaque festa et Officia mobilia, ad diem qua eo anno occurrunt. Dein fit collatio inter festum, vel Officium, quod unaquaque die in priore columna signatum legitur et illud quod, eadem die, in altera columna est notatum, et regulis occurrentiæ applicatis, factæ collationis deductio describitur in tertia columna. His absolutis, et Officiis repositis, quæ translationis fuerunt obnoxia, aliis autem vel simplificatis, vel expunctis, attenditur tantum ad seriem in tertia columna hac ratione compositam, et, facta nova collatione inter unum festum, vel Officium et aliud, quod subsequitur, applicantur regulæ concurrentiæ, atque omnia alia indicantur quæ uniuscujusque festi, vel Officii sunt propria, spectato ejus ritu, tempore quo celebratur etc.

85. Quinam teneantur uti Calendario proprio cujuscumque loci, vel Ecclesiæ, infra indicabimus.

Quæsitum autem fuit: « Sacerdos, qui probabilius judicat errare Calendarium, tenetur ne eidem Calendario stare; an proprio inhærere judicio quoad Officium, Missam et colorem paramentorum? » S. R. Congregatio respondit: « *Affirmative*, ad primam partem; *Negative*, ad secundam »[1]. At si certo pateat error, qui evidenter Rubricis repugnat, corrigendus est. Responsum enim allatum, casum considerat, quo res adhuc est sub judice, ita ut, ad uniformitatem inducendam, necesse sit uni adhærere, licet minus probabili, opinioni et judicio, quod in Calendario exprimitur. Quando vero de re certo definita agitur, tenendum est eam ab omnibus cognosci et sic ab omnibus uniformiter Calendarii errorem corrigi posse[2].

1) S. R. C. 13 Junii 1899, n. 4031, ad V.
2) Cf. S. R. C. 12 Julii 1889, n. 3714, ad II. et Card. **Gennari.** *Consultaz. Can. Mor. Lit. Vol. II. P. III. Cons. XIX.*

TITULUS IV.

DE DIVINO OFFICIO IN SPECIE

PRÆNOTANDA.

86. Notiones ac regulas hucusque tradidimus, quæ Officiis quibuscumque aptari valent, quæque in Rubricis generalibus Breviarii continentur. Modo illas tradenius, quæ uniuscujusque Officiorum speciei sunt propriæ, quæque in specialibus Breviarii Rubricis exhibentur.

Porro, divisionem illam hic sequemur, quam Breviarium Romanum habet, ita ut ex ordine loquamur de Officiis, quæ propria sunt temporis, ac de Officiis sive propriis, sive communibus Sanctorum.

Quoniam vero ipsa Breviarii partitio sequitur divisionem anni, intra cujus fines Officia singula suam sedem habent, hæc autem divisio diversa est, prout ad annum pertinet ecclesiasticum, vel ad annum civilem ; ideo opportunum censemus de anno generatim aliquid præmittere.

CAPUT I.

De anno generatim.

87. Annus alius est *ecclesiasticus*, alius *civilis*.

Annus ecclesiasticus est : Cyclus dierum, qui ab Adventu incipit et ante Adventum desinit. Horum

autem dierum distributio pendet a determinatione diei, qua Paschæ solemnia celebrari contingit.

In sex stadia apte dividitur, et in singulis Ecclesia voluit mentis oculis veluti subjicere Jesu Christi vitam et exempla, necnon regni ejus originem atque incrementum. Hujusmodi stadia sunt: 1. ab Adventu ad Nativitatem Domini; 2. a Nativitate Domini ad octavam Epiphaniæ; 3. ab octava Epiphaniæ ad Dominicam Passionis; 4. a Dominica Passionis ad Pascha; 5. a Paschate ad octavam Pentecostes; 6. ab octava Pentecostes ad Adventum.

88. Annus ecclesiasticus comprehendit Dominicas et ferias; quare Officia de tempore alia sunt *dominicalia*, alia sunt *ferialia*.

Dominica est prima dies hebdomadæ et *Domino* peculiari ratione dicata, tum quia præcipua Religionis mysteria Dominus in ea operatus est, tum quia loco Sabbati, quod Hebræis præceptum fuerat, eam sibi Deus elegit, ut fideles ab operibus servilibus abstinentes, actibus cultus et Religionis potissimum vacarent.

Olim festa Sanctorum nequaquam celebrabantur in Dominicis, ut soli Deo honor et laus tribueretur, et nonnisi serius inducta est nova disciplina, quæ hodiedum viget. Veteris tamen moris vestigium non latet, nunquam enim omittitur commemoratio Dominicæ, cum hujus IX. lectione, in quovis festo, etiam e solemnioribus, quod in ea occurrit.

Quomodo inter se distinguantur Dominicæ jam vidimus (n. 31); quid sit singularum proprium infra dicemus.

Interim adnotamus Dominicarum Officium non transferri, paucis tantum exceptis, scilicet: Dominica infra octavam Nativitatis Domini; Dominicis a prima ad sextam post Epiphaniam et vigesima

quarta post Pentecostes, quæ, in quibusdam adjunctis, non modo transferri, sed et anticipari possunt. At hæc translatio, vel anticipatio, non quidem ex occurrentiæ regulis, sed ex peculiari Rubricarum dispositione obtinet.

89. *Feria*, dicta a *feriando*, idem est ac dies vacationis [1]. Quotidie enim Clerici, præsertim, Deo debent vacare, eique soli adhærere; omnes autem fideles, non quidem ab operibus, sed a vitiis ut prorsus vacent necesse est.

Quemadmodum autem in vetere Testamento mos erat dies omnes computandi a Sabbato, ita ut haberetur *una*, vel *prima Sabbati*, *secunda Sabbati*, etc., [2] ita Ecclesia ab usu ethnicorum abhorrens, qui dies distinguebant nominibus a sideribus sumptis, in sua Liturgia dies, seu ferias, a Dominica, quæ est veluti prima feria, computat, adeo ut dies quæ Dominicam subsequitur dicatur *feria secunda*, dein succedat *feria tertia*, et ita porro; retento nomine *Sabbati* pro die ultima, ob memoriam et venerationem legis antiquæ.

Feriæ nullum aliud Officium excludunt, nisi sint privilegiatæ; et sui commemorationem in aliis Officiis non exigunt, nisi ipsæ ex majoribus sint (cf. n. 32).

Officium feriarum neque transfertur, neque anticipatur. At Officium vigiliarum, quæ privilegiatæ non sunt, cum incidit in Dominicam, persolvitur in Sabbato præcedenti.

Quomodo inter se discernantur feriæ pariter vidimus (n. 32), et infra docebimus quid singulæ proprium habeant.

1) In Levitico XXIII. pluries nominantur feriæ, tamquam dies solemnitatis.

2) In N. T. Cf. Matth. XXVIII. 1; Marc. XVI. 2; Luc. XXIV. 1; Joan. XX. 1.

90. Ut quatuor anni temporum initia, veluti primitiæ, peculiari ratione Deo consecrentur, Ecclesia jejunia quædam instituit, quæ adnexuit feriis IV. et VI. atque Sabbato, occurrentibus in hebdomadis tertia Adventus, prima Quadragesimæ, Pentecostes et tertia Septembris [1].

Quare habentur *Quatuor Tempora hiemalia, verna, æstiva, et autumnalia.*

Feriæ Quatuor Temporum, ut jam vidimus (n. 32), majores sunt, et ideo commemorationem, cum IX. lectione, exigunt in quovis occurrente Officio; et si nullum Officium occurrit, etiam translatum, quod habeat novem lectiones, ipsarum feriarum Officium persolvitur.

91. *Annus civilis* est: Spatium temporis, quo sol zodiacum, apparenter quidem, percurrens, ad locum redit a quo cursum incœpit; quare et *solaris* dicitur.

Constat hic annus diebus 365 et fere 6 horis, quibus componuntur 52 hebdomadæ ac 12 menses. Quoniam vero 6 horæ, quæ singulis annis excedunt, quater ductæ integrum diem efformant, ideo, sic jubente Imperatore Julio Cæsare (an. 708 ab U. C.), quartus quivis annus una augetur die; quare hic annus auctus *bissextilis* nuncupatur, nominis hujus ratione ducta ex Romanorum more, qui, post emendationem Julianam, quarto quolibet anno, *VI. Kalendas Martii*, scilicet diem 24 Februarii, *bis* enuntiabant.

Verum nondum satis provisum erat perfectæ temporis supputationi. Etenim infra 6 horas est

1) Memoriæ juvandæ causa, teneatur dicta jejunia occurrere post *lux*, post *cin*, post *pen*, post *crux*; scilicet feriis IV. et VI. ac Sabato, quæ primo occurrunt post festum S. Luciæ (13 Dec.), post feriam IV. Cinerum, post festa Pentecostes et Exaltationis S. Crucis (14 Sept.).

reapse cujuslibet anni excessus, quum ad illas complendas 11, vel 12 desint minuta; hæc autem, plures per annos aucta, longiorem reddunt, qua par est, cyclum annualem. Idcirco imminuere illum oportuit; idque factum est, auspice Gregorio XIII. P. M. (an. 1582), hac præstituta regula, quod ex annis sæcularibus nonnisi quartus foret bissextilis [1].

92. Annus civilis, si ad lunæ, potiusquam solis, cursum respicitur, *lunaris* vocatur. In more est autem quod annus civilis simul sit et solaris et lunaris. Ecclesia tamen ad lunæ cursum attendit pro diei Paschatis aliorumque festorum, quæ ab illa pendent, determinanda sede.

Nam Concilium Nicænum (an. 325) decrevit festum Paschatis esse celebrandum in Dominica, quæ subsequitur plenilunium, scilicet diem XIV. lunæ Martii, incidentem in æquinoctium vernum (21 Martii) vel post ipsum. Ex quo derivat Paschatis festum nec ultra diem 25 Aprilis, nec infra diem 22 Martii unquam celebrari, atque intra hos terminos quotannis mutari ejus sedem; consequenter, etiam alia festa mobilia, quæ determinata dierum quantitate a Paschate distant, pariter quotannis suam sedem mutare.

E contra, in assignandis festis fixis Ecclesia ad annum attendit solarem, qui die 1. Januarii initium

1) Primo anno, quo fuit inducta correctio Gregoriana, ad annum solarem, qui jam prolixior factus fuerat, justos intra limites restituendum, decem ab eo dempti sunt dies, pro una vice tantum. Ad hoc tamen minime attendere voluerunt Ecclesiæ Russicæ asseclæ; quare qui illius Imperii dominio subsunt, necnon Græci schismatici, Calendario Juliano adhuc utuntur, cujus differentia a Gregoriano hodie tredecim jam dierum est.

ducit et die 31 Decembris desinit [1]. At dies qui a media nocte ad mediam noctem civili jure computatur, cum tamen agitur de effectibus quibusdam liturgicis, v. g. de Indulgentiis lucrandis, quæ juxta consuetas clausulas conceduntur, ac de Officiis divinis persolvendis, computatur a vespere ad vesperem, quod, Judæorum mori cohæret : « A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra » [2].

CAPUT II.

De Officiis Adventus.

93. *Adventus* est tempus sacrum, quod præcedit Nativitatem Jesu Christi et in Ecclesia Romana incipit a Dominica, quæ propior est festo S. Andreæ Apostoli (30 Novembris), vel in hoc incidit.

Triplex Christi Adventus hoc tempore recolitur : nempe, primus quo Filius Dei factus homo nascitur mundo, hunc redempturus ; alter, quo Salvator spiritualiter nascitur nobis, nos sanctificaturus ; tertius, quo Christus veniet cum gloria post sæcula, universos homines judicaturus.

Quare, ut ad hunc triplicem Adventum rite dis-

1) Olim annus civilis incipiebat die I. Martii. Cujus moris vestigium apparet in nomine mensium Septembris, Octobris, Novembris et Decembris, qui ita appellabantur, quia revera septimum, octavum, nonum et decimum locum respective occupabant ; item ex eo apparet, quod dies quæ superest in anno bissextili, ponitur post diem 28 Februarii, quæ erat olim ultima dies anni.

2) Levitic. XXIII. 32. Etiamnum in Brevibus Pontificiis initium anni computatur a die Incarnationis Domini, seu a die 25 Martii.

ponamur, Ecclesia jejunium injungit [1], tum signa ostendit pœnitentiæ, proposito violaceo colore in Officiis de tempore, tum animas excitat vel ad timorem salutarem, assignando ab initio Evangelium, quod extremum enarrat judicium, vel ad piam sanctamque lætitiam, exhibendo historiam Nativitatis Jesu, prophetico instinctu ab Isaia descriptam, et *alleluja*, ubi occurrit, non omittendo.

94. *Dominicæ Adventus* sunt quatuor et quidem privilegiatæ, prima autem I. classis, reliquæ II. classis; omnes ritus Semiduplicis (cf. n. 31, 37).

Quare in occurrentia, prima Dominica nulli cedit festo; aliæ cedunt tantum festis ritus Duplicis I. classis, in quibus tamen ipsæ vindicant sibi commemorationem in Vesperis utrisque et Laudibus, necnon IX. lectionem in Matutino. In concurrentia, cum in hac ad ritum attendatur, omnes cedunt Vesperas sive præcedenti, sive sequenti festo ritus Duplicis. Quod si festum præcedens Dominicas singulas, vel eas sequens, ritus sit Semiduplicis, in primo casu Vesperas cum illo dividunt, in altero casu Vesperas integras habent, cum commemoratione festi (cf. n. 77). *Exemplum*: Die 11 Novembris occurrit festum S. Damasi I. Papæ, ritus Semiduplicis. Si illud incidit in Sabbatum et postridie occurrat Dominica III. Adventus, Vesperæ fiunt a capitulo de insequenti Dominica. Si, e contra, dictum festum incidit in feriam II. quæ eamdem

1) Antiquitus, (et etiam nunc ubi viget ritus Ambrosianus) post festum S. Martini initium ducebat Adventus, et hoc tempore fideles jejunabant, non secus ac in Quadragesima. Hinc est ratio cur apud nonnullos Ordines religiosos adhuc jejunium hoc servetur. Ceteris autem, in Ecclesia Latina, jejunium præcipitur tantum singulis feriis sextis et Sabbatis.

Dominicam subsequitur, Vesperæ integræ fiunt de Dominica, cum commemoratione sequentis festi S. Damasi.

Tertia Dominica appellatur *Gaudete*, qua voce incipit Introitus Missæ ejusdem, et significat gaudium propter instans Nativitatis tempus. Quare in Officio et Missa de eadem Dominica color rosaceus adhiberi potest [1] et organa pulsantur.

95. *Feriæ Adventus* majores sunt (cf. n. 32), ideoque commemorationem sui exigunt in quocumque occurrente Officio. Ipsæ tamen cedunt cuilibet festo ritus Duplicis et Semiduplicis, tum in occurrentia, tum in concurrentia.

Earumdem feriarum commemoratio peragitur per antiphonam, quæ propria est pro diebus singulis, tum ad Laudes, tum ad Vesperas, et per orationem desumptam quotidie a Dominica præcedenti.

Attamen de quacumque vigilia occurrente nihil fit in Officio; quare prætermittitur commemoratio vigiliarum S. Andreæ Ap., Immaculatæ Conceptionis et S. Thomæ Ap., quæ in Adventu occurrunt.

96. In Officiis Adventus, sive dominicalibus, sive ferialibus, omittitur hymnus *Te Deum* in fine Matutini et, ejus loco, additur ultimæ lectioni responsorium; consequenter, lectio IX. alterius Officii occurrentis, sive Simplicis, sive simplificati, omittenda est, et occurrentis festi fit tantum commemoratio (cf. n. 26).

Item toto Adventu nunquam fiunt commemorationes communes, seu suffragia Sanctorum (cf. n. 29); dicuntur tamen preces, sive dominicales, sive etiam feriales, quando eas ritus Officiorum occurrentium exigit (cf. n. 37).

1) S. R. C. 29 Nov. 1901 ad III.

97. A die 17 Decembris inclusive, usque ad festum Epiphaniæ, qualescumque octavæ particulares, scilicet in universali Calendario non recensitæ, excluduntur, et quæ incœptæ jam fuerint, illa die adveniente, abrumpuntur.

Ab eadem die incipiunt antiphonæ majores, quæ septem numerantur, et totidem diebus continuis singulæ dicuntur, eas semper duplicando, ad *Magnificat*. Hæ vocantur antiphonæ *O*; hac quippe vocali exordiuntur.

Post Dominicam tertiam, feriis IV. et VI. ac Sabbato, occurrunt Quatuor Tempora *hiemalia* (cf. n. 90), quorum, si Officium non persolvitur, fit commemoratio, cum IX. lectione ex homilia feriæ et oratione propria.

98. *Vigilia Nativitatis* una est ex tribus privilegiatis (cf. n. 35), et nulli Officio occurrenti cedit, imo de ea fit, etiamsi incidat in Dominicum diem, quo casu ejusdem Dominicæ fit commemoratio, at sine hujus IX. lectione ex homilia.

Id est ei singulare, quod Matutinum persolvitur ritu Semiduplici usque ad Laudes exclusive, sed a Laudibus et deinceps Officium est ritus Duplicis.

Hæc vigilia habet adnexum jejunium, quod tamen, si illa in Dominicam incidit, in præcedenti Sabbato est observandum.

CAPUT III.

De Officiis a Nativitate ad Epiphaniam.

99. Præstantissimum jam a primis Ecclesiæ sæculis fuit *festum Nativitatis Domini*, quod *metropolim festorum omnium* nuncupavit S. Joannes

Chrysostomus [1] et *solem novum* vulgo appellari testabatur S. Ambrosius [2]. Olim, a Nativitate ad Epiphaniam, a servilibus operibus prorsus abstinebant fideles.

Est igitur hoc unum e solemnioribus festis universæ Ecclesiæ, quod colitur ritu Duplici I. classis, cum octava, et ideo nulli festo cedit, sive in occurrentia, sive in concurrentia (cf. n. 48,72), nullamque admittit commemorationem, nisi de festo sequenti in secundis Vesperis (cf. n. 78).

Ubi Officium hujus festi solemniter persolvitur, ut in Ecclesiis Cathedralibus, cantus Matutini præcedit primam ex tribus Missis, quæ media nocte celebratur; post quam, Laudes statim sunt canendæ.

100. *Octava Nativitatis* est una ex quinque privilegiatis (cf. n. 34). Nihilominus infra eam fit de occurrente Officio Semiduplici, vel de Duplici sive occurrente, sive translato (cf. n. 61), et si de eadem octava non fit Officium, ipsa tamen sui commemorationem semper exigit.

Id autem singulare habet, quod quavis die Vesperæ, usque ad capitulum, sunt de Nativitate; deinceps, sunt de Officio occurrente, antiphonis quidem duplicatis, vel non, juxta ritum proprium dicti Officii occurrentis.

Per totam octavam, in hymnis usurpatur conclusio propria, quæ est : *Jesu, tibi sit gloria — Qui natus es de Virgine*, etc. (cf. n. 20).

101. In diem octavam Nativitatis incidit *festum Circumcisionis Domini*, quod Ecclesia potissimum

1) **S. Jo. Chrysostomus.** *Homil. XII.*
2) **S Ambrosius.** *Serm. XVI.* Attamen non constat festum Natalis Domini institutum fuisse antequam absolveretur ævum apostolicum, scilicet ante sæculum III. Cf. **Lapini.** *Istituz. Liturg. Lez. XXXV.*

instituit ut fideles distraheret a ludis, more paganorum, Calendis Januarii, fieri solitis, contra quos acerrime invehitur S. Petrus Chrysologus [1].

Hoc festum quoque est unum e solemnioribus Ecclesiæ universæ et potitur ritu Duplici II. classis. Quare in occurrentia nulli cedit festo, etiam altioris ritus (cf. n. 48); sed admittit commemorationem Officii occurrentis non transferibilis, cum hujus IX. lectione ad Matutinum.

Plura, quæ in hodierno Officio leguntur, spectant ad B. Mariam V., eo quod olim Deiparæ quoque memoria ageretur hac die.

102. *Vigilia Epiphaniæ* est altera ex tribus privilegiatis (cf. n. 35). Ritus ejus est Semiduplex et cedit Officio occurrenti, quod sit ritus Duplicis; in hoc Officio tamen fit vigiliæ commemoratio, cum IX. lectione ex homilia ad Matutinum. Si autem vigilia inciderit in Dominicam, de eadem vigilia adhuc fit Officium, omissa quacumque Dominicæ commemoratione.

Neque suffragia Sanctorum, neque preces ad Primam in hac vigilia dicuntur.

103. *Festum Epiphaniæ* ad triplicem Christi manifestationem recolendam, jam a primis sæculis, fuit institutum. Primum enim Christus Jesus se prodidit Magis, qui, stella præeunte, Bethleem venerunt, natum Puerum adoraturi. Secundo, Jesum a Joanne baptizatum vox de cœlo delapsa Filium Dei aperte nuntiavit. Tertio, in convivio nuptiali Canæ Galileæ Salvator, in vinum aquam vertens, suam ostendit divinam virtutem [2].

1) Cf. *Lect. II. in II. Noct. ad Matut. festi S. Petri Chrysologi (die 4 Dec.).*

2) Hæc innuit antiphona ad *Magnificat* in secundis Vesperis hujus festi.

Potissimum tamen, in Ecclesia Latina, prior recolitur manifestatio, ut patet ex toto Officio, quod hac die perlegitur.

Etiam hoc festum recensetur inter solemniora universæ Ecclesiæ, et habet ritum Duplicem I. classis, cum octava. Quare nulli cedit festo, sive in occurrentia, sive in concurrentia (cf. n. 48,75); neque admittit commemorationes, nisi in secundis Vesperis, juxta dicta n. 78.

104. *Octava Epiphaniæ* est una ex quinque privilegiatis (cf. n. 34), inque ea non fit nisi de Duplicibus I. classis, aut occurrentibus, aut perpetuo assignatis, non vero de translatis per accidens, quia hæc non admittuntur (cf. n. 59,61).

Cetera Officia inferiora transferuntur perpetuo et assignantur post octavam, et de Simplicibus occurrentibus fit commemoratio, etiam infra octavam, in primis Vesperis ac Laudibus, cum IX. lectione ad Matutinum. Quod si Officium debet persolvi, ut antea diximus, de occurrente Duplici I. classis, tunc de die infra octavam commemoratio peragitur, ommissa, in casu, commemoratione Simplicis pariter occurrentis (cf. n. 66).

Per totam octavam, hymni dicuntur cum propria conclusione, quæ est : *Jesu, tibi sit gloria — Qui apparuisti gentibus*, etc. (cf. n. 21).

105. De *Dominicis* occurrentibus toto hoc tempore, scilicet a Nativitate ad octavam Epiphaniæ, hæc teneantur :

I. Dominicæ incidentes in festa Nativitatis, S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ et Ss. Innocentium, vel in quamlibet diem a Circumcisione ad festum Epiphaniæ inclusive, atque in hujus festi diem octavam, *vacantes* sunt, quia de eis in Officio diei nihil fit (cf. n. 31). Attamen, Dominica occurrens

a die Circumcisionis ad festum Epiphaniæ, inclusive, prorsus omittitur; de Dominica autem incidente in festa Nativitatis, S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ et Ss. Innocentium peragitur Officium die 30 Decembris.

II. De Dominica occurrente infra octavam Epiphaniæ, fit Officium eadem die in quam incidit, cum commemoratione octavæ.

III. De Dominica quæ incidit in diem octavam Epiphaniæ fit Officium in Sabbato præcedenti [1].

CAPUT IV.

De Officiis ab Epiphania ad Dominicam Passionis.

106. Tempore, quod decurrit ab octava Epiphaniæ ad Dominicam Passionis, exclusive, recolimus vitam publicam, scilicet prædicationem Jesu Christi et miracula ab eodem patrata. Id enim innuunt Evangelia, quæ in Dominicis, vel feriis hujus temporis leguntur.

In primis habentur sex Dominicæ post Epiphaniam; dein Dominicæ Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ; demum quatuor Dominicæ Quadragesimæ, hujusque feriæ.

107. *Dominica I. post Epiphaniam* ea est, quæ infra hujus festi octavam, vel in ipsam diem octavam, incidit. De hac satis diximus (n. 105).

1) Ratio hujus anticipationis est ne in eodem Officio legatur prius Evangelium diei octavæ, in quo sermo est de Christo ætatem habente triginta annorum, ac dein Evangelium Dominicæ, in quo Christus duodennis innuitur.

Dominica II. habet adnexum *festum SS. Nominis Jesu*, sub ritu Duplici II. classis, in cujus Officio fit commemoratio dictæ Dominicæ, cum ejus IX. lectione ex homilia. Quod si in diem eamdem aliquando incidat Dominica Septuagesimæ, tunc hujus Officium persolvitur; Dominicæ vero II. post Epiphaniam Officium anticipatur et festum SS. Nominis Jesu transfertur in diem 28 Januarii, amoto ab hac, vel in ea simplificato, vel etiam omisso, juxta casum, quocumque alio festo, quod non sit ritus Duplicis I. vel II. classis et primarium; secus enim festum SS. Nominis reponitur in primam diem liberam juxta Rubricas.

Idipsum obtinet quum in Dominicam II. post Epiphaniam incidit festum aliquod ritus Duplicis I. classis, v. g. Patroni, vel Titularis, etc. [1].

Dominicæ III. adnectitur *festum S. Familiæ*, sub ritu Duplici majore, cujus Officium peragitur cum commemoratione et IX. lectione ex homilia Dominicæ. Hoc festum est unum ex mobilibus particularibus, quod singulis Episcopis, vel Congregationibus illud petentibus conceditur, adjecta facultate ipsum transferendi, in casu impedimenti.

Si *Dominicis III. IV. V. et VI.* locus non est antequam adveniat Dominica Septuagesimæ, tunc illarum Officium fit post Dominicam XXIII. Pentecostes. Et si adhuc aliqua ex illis superest, ejus Officium ponitur infra hebdomadam quæ Septuagesimam præcedit.

Omnes istæ Dominicæ post Epiphaniam sunt communes, scilicet non privilegiatæ (cf. n. 31), et feriæ intermediæ sunt omnes minores, idcirco non fit harum commemoratio (cf. n. 32).

1) S. R. C. 18 Julii 1885, n. 3639, ad III; 6 Sept. 1895, n. 3872, ad II.

Item, in Officiis de tempore, post octavam Epiphaniæ, usque ad Dominicam Septuagesimæ, exclusive, utendum est, extra octavas, colore viridi.

108. Pro diverso more intermittendi jejunium quadragesimale, hoc incipiebat quadraginta, vel quinquaginta, vel sexaginta, vel etiam septuaginta diebus ante Pascha. Quum autem prima Dominica, qua dierum quadraginta jejunium initium habebat, appellaretur *Quadragesima*, ita antecedentes Dominicæ, a quibus, pro diverso usu, pariter inchoabatur jejunium, dictæ fuerunt respective *Quinquagesima*, *Sexagesima* et *Septuagesima*.

Mœroris et fletus est tempus incipiens a Dominica Septuagesimæ, in qua Adæ peccatum, quod omnium ærumnarum nobis caussa fuit, nostris oculis Ecclesia subjicit, ut pœnitentiam agentes, condignos ejus fructus assequamur et ad Christi passionem recolendam animum disponamus.

Quare in Officio de tempore utimur colore violaceo, omittimus *alleluja*, ubi occurrit, atque hymnum *Te Deum* in Matutino; et in hoc lectiones I. Nocturni sumimus ex libro Genesis, in quo creatio et lapsus Adæ describitur, ac dein ex libro Exodi, ubi gesta enarrantur illorum virorum, qui Christum præcurrunt et veluti ejus imaginem referunt.

109. Dominicæ *Septuagesimæ*, *Sexagesimæ* et *Quinquagesimæ* sunt privilegiatæ II. classis, sed ritus Semiduplicis, unde in occurrentia non cedunt nisi Duplicibus I. classis, et, his occurrentibus, dictæ Dominicæ commemorationem sui habent in utrisque Vesperis ac in Laudibus, cum IX. lectione ex homilia ad Matutinum; in concurrentia cedunt festis ritus Duplicis, sed primas Vesperas dividunt cum Semiduplici antecedenti, integras habent secundas cum commemoratione Semiduplicis sequentis.

Officia, quæ in has incidunt Dominicas, transferuntur, si quidem transferri valeant; secus eorum fit commemoratio in Vesperis ac Laudibus, sed sine IX. lectione, quum nonum responsorium in Matutino obtineat (cf. n. 26).

Eædem Dominicæ exigunt in proprio Officio tum suffragia Sanctorum, excepta commemoratione de Cruce, tum preces dominicales (cf. n. 37).

Feriæ intermediæ, usque ad feriam IV. Cinerum exclusive, sunt minores, ideoque nullam obtinent sui commemorationem.

110. Feriâ IV. post Dominicam Quinquagesimæ incipit Quadragesima, cujus tamen jejunium olim inchoabat, et etiam nunc in Ecclesia Mediolanensi initium ducit, a feria II. insequenti.

Hæc feria dicitur *Cinerum*, ex ritu Ecclesiæ imponendi cineres capiti fidelium, prout olim cum publicis peccatoribus pœnitentiæ addictis fieri solebat, ut originis et finis nostræ memoria in omnibus sensus excitet humilitatis et compunctionis.

Feria IV. Cinerum est major et privilegiata I. classis (cf. n. 32), sed ritus Simplicis; proinde in occurrentia expungit quodvis Officium, quod transfertur, si transferibile est, secus ejus commemoratio fit in Vesperis ac Laudibus, sine IX. lectione; in concurrentia cedit cuilibet Officio ritus superioris.

111. *Dominica I. Quadragesimæ* est privilegiata I. classis; *Dominicæ II. III. et IV.* sunt pariter privilegiatæ, sed II. classis: omnes sunt ritus Semiduplicis.

In eis, tum in occurrentia, tum in concurrentia idem est servandum quod de Dominicis Adventus diximus (n. 94).

Dominica IV. vocatur *Lætare*, qua voce Missa

respondens incipit, et in ea ad sensus lætitiæ excitamur, propter Redemptionem proxime a Jesu Christo perficiendam. In Officio adhiberi potest color rosaceus [1] et organa pulsantur.

Feriæ intermediæ, post feriam IV. Cinerum, sunt majores, non privilegiatæ, et habent semper commemorationem in utrisque Vesperis ac Laudibus, cum antiphona et oratione propria, atque IX. lectione ex homilia in Matutino; consequenter omittenda est IX. lectio festi Simplicis, vel simplificati occurrentis.

A feria IV. Cinerum et deinceps, in Officio sive dominicali, sive feriali, dicuntur suffragia Sanctorum, quibus præmittitur commemoratio Crucis (cf. n. 29) et preces etiam feriales in feriis (cf. n. 27).

Item ab eadem feria IV. Cinerum octavæ particulares cessant, et quæ antea incœptæ fuerint, abrumpuntur, nisi tamen præsto sit indultum octavas peragendi, ut alicubi datum est pro octava Annuntiationis B. Mariæ V.

Post Dominicam I. Quadragesimæ recurrunt Quatuor Tempora *verna* (cf. n. 90).

CAPUT V.

De Officiis Temporis Passionis.

112. Vitam Jesu Christi publicam absolvit ejusdem Passio, qua Sanguinis et vitæ suæ pretio nos omnes redemit, nostramque miserrimam conditionem reparavit. Sacra igitur Liturgia tota in eo est, hoc temporis spatio, ut memoriam dolorum et mortis Redemptoris nostri renovet in mentibus nostris, et

1) S. R. C. 29 Nov. 1901 ad III.

ne ad alios, utut piissimos, distrahamur sensus, ipsas Sanctorum imagines, velamine obducto, obtegi jubet.

Passionis tempus duas postremas comprehendit hebdomadas Quadragesimæ, quarum prior dicitur proprie *Hebdomada Passionis*, et altera *Hebdomada Major*.

Toto hoc tempore, in Officiis dominicalibus, vel ferialibus, omittitur *Gloria Patri* tum in fine Invitatorii, tum in responsoriis post lectiones Matutini, tum in brevibus responsis Horarum; item omittuntur suffragia Sanctorum, non vero preces, etiam feriales, cum hæ præscribuntur.

Lectiones I. nocturni in Matutino desumuntur ex propheta Jeremia, qui de Christi passione plura prædixit.

113. *Dominica Passionis*, quæ est prima occurrens hoc tempore, et *Dominica Palmarum*, quæ est secunda, sunt privilegiatæ I. classis, ritus Semiduplicis, et ideo sive in occurrentia, sive in concurrentia illud obtinet quod indicavimus pro Dominica I. Quadragesimæ [1] (n. 111).

Feriæ infra hebdomadam Passionis sunt majores non privilegiatæ, unde nonnisi commemorationem, ut præcedentes infra Quadragesimam, sibi vindicant.

E contra, feriæ Hebdomadæ Majoris sunt omnes privilegiatæ. Tres priores, scilicet feriæ II. III. et IV., sunt ritus Simplicis et expungunt quodvis Officium, cujus fit aut translatio, aut commemoratio, prout est transferibile, vel non. Tres posteriores feriæ, seu feria V. *in Cœna Domini*, feria VI. *Parasceves*

1) Attamen, quamvis in Officio Dominicæ Palmarum fiant commemorationes occurrentes, nulla ex his fit in Missa. Cf. *Liturgia Missæ, n. 66.*

et *Sabbatum Sanctum*, sunt ritus Duplicis I. classis, et non solum quodvis Officium, sed et quamcumque commemorationem respuunt.

In Officiis de tempore adhibetur color violaceus, excepta feria VI. Parasceves, in qua colore nigro utimur.

CAPUT VI.

De Officiis temporis Paschalis.

114. A Missa Sabbati Sancti, qua Christi Jesu resurgentis gloria canitur, ad Nonam Sabbati post Pentecosten, inclusive, decurrit tempus quod, a Paschatis solemnitate, *Paschale* dicitur.

Hoc tempore mysteria illa recoluntur, quæ ad gignendam lætitiam et spem salutis in corde hominum erigendam maxime conferunt, quum ipse Redemptor « qui mortem nostram, moriendo, destruxit et vitam, resurgendo, reparavit [1] » post suam resurrectionem, cum discipulis adhuc fuerit conversatus, ut eos in fide suorum promissorum pluribus apparitionibus ac miraculis firmaret, ac dein ad Cælum ascenderit, ut ibi locum futuræ beatitatis nobis pararet, atque demum Spiritum Sanctum miserit, ut veritatis lumine collustrati, et igne charitatis incensi, viam mandatorum divinorum prosequeremur, quæ tandem ad præmium æternæ gloriæ perducit.

Quamobrem in Officiis hujus temporis omnia sunt gaudii signa, scilicet: Color albus adhibetur; vox *alleluja* (*laudate cum jubilatione Deum*), sæpe interseritur; tres psalmi uniuscujusque nocturni in

1) Præfatio Missæ in festo Paschatis.

Matutino, etiam in Officiis Sanctorum, sub unica recitantur antiphona; Officium Apostolorum et Martyrum, qui Passionis Domini consortes fuerunt, peculiare habetur; omittuntur Sanctorum suffragia, si tantum excipias commemorationem Crucis, propriam hujus temporis, ut signum triumphi et gloriæ appareat Crux illa, quæ antea exstiterat instrumentum mortis; hymni, in quovis Officio non habente conclusionem hymnorum propria, absolvuntur conclusione hujus temporis *Deo Patri sit gloria — Et Filio qui a mortuis* etc., servatis servandis quæ suo loco indicavimus (n. 21); lectiones I. nocturni in Matutino desumuntur ex Actibus Apostolorum, Apocalypsi et Epistolis Apostolorum, quia his scriptis et sua virtute Apostoli testati sunt Jesu Christi Resurrectionem.

115. *Festum Paschatis* omnium est solemnissimum, cum mysterium illud celebret, quod christianæ Religionis est firmissimum fundamentum [1], ejusque institutio ipsis Apostolis jure merito tribuitur.

Est igitur unum e solemnioribus Ecclesiæ universæ festis, ritus Duplicis I. classis, cum octava.

Hinc sequitur illud nulli cedere festo, neque cujusvis commemorationem admittere; quare festum aliud occurrens die eadem, transfertur, si est transferibile, secus omittitur prorsus.

Officium Paschatis, quod usque ad Sabbatum subsequens, inclusive, perlegitur, unicum habet in Ma-

1) Sane Apostolus ait, I. Cor. XV. 14. « Si Christus non resurrexit inanis est prædicatio nostra, vana est fides nostra. » — Nomen *Paschæ* derivatur ab hebraica voce *Phase*, idest *transitus* ut, quemadmodum Israelitæ recolebant beneficium, quo Angelus missus ad Aegyptiorum primogenitos necandos, eorum vitæ parcebat, quorum domus sanguine agni conspersas inspiciebat, ita Christiani vitam æternam per Jesum sibi acquisitam celebrarent.

tutino nocturnum, cum tribus lectionibus ex homilia, propriis uniuscujusque diei, et loco capitulorum, hymnorum et versuum dicitur, in singulis Horis, antiphona: *Hæc dies quam fecit Dominus*: *exsultemus et lætemur in ea.*

116. *Octava Paschatis* est una ex privilegiatis (cf. n. 34) et expungit quodvis aliud Officium; feriæ autem II. et III. sunt ritus Duplicis I. classis, et proinde de eis, non secus ac de ipso festo Paschatis, est dicendum : feriæ vero sequentes sunt ritus Semiduplicis, et ideo commemorationem admittunt, at sine IX. lectione, festorum non transferibilium (cf. n. 60).

Dies octava incidit in Dominicam, quæ in *albis* vocatur [1], est I. classis, sed ritus Duplicis (cf. n. 37); unde nulli festo occurrenti cedit, de quo tamen, si non est transferibile, fit commemoratio cum IX. lectione in Matutino. In concurrentia, hujus regulæ servantur, cum exceptione quam pro diebus octavis festorum primariorum Domini indicavimus (n. 73).

A feria II. post hanc Dominicam, extra octavas, dicuntur preces dominicales, in Officiis, quæ illas exigunt (cf. n. 37).

117. Reliquæ Dominicæ, quæ intercedunt usque ad festum Pentecostes, sunt minores et ritus Semiduplicis et sibi vindicant, in occurrente Officio potioris ritus, commemorationem, cum IX. lectione in Matutino.

1) Neophyti, qui in Sabbato Sancto baptismum susceperant, vestibus albis induebantur, quas ipsi per dies octo, seu usque ad Sabbatum post Pascha, deferebant. Quare hæc vocabatur *hebdomada alba,* postrema dies *Sabbatum in albis,* cui succedebat *Dominica post albas*, seu, ut legitur in Officio Ambrosiano, *Dominica in albis depositis.*

Dominicæ III. post Pascha adnectitur, pro universa Ecclesia, *festum Patrocinii S. Joseph*, Sponsi B. M. V., sub ritu Duplici II. classis, quod alicubi, ex indulto, octavam quoque habet. Quum hoc festum sit unum ex mobilibus lato sensu, ideo, in casu impedimenti, jure gaudet translationis (cf. n. 57).

118. Feriis II. III. et IV. post Dominicam V. a Paschate, fiunt *Rogationes*, seu publicæ deprecationes ad misericordiam Dei implorandam, ut ipse et peccatis nostris indulgeat, et fructus terræ dare et conservare dignetur.

Ex his, feria II. est major, de qua commemoratio in Laudibus tantum, cum IX. lectione ex homilia in Matutino, omitti non debet, quocumque occurrente Officio; feriæ III. et IV. minores sunt, de quibus in Officio nihil fit (cf. n. 32).

In iisdem feriis, omnes qui ad Horas canonicas, etiam privatim, recitandas tenentur, debent, ante Primam, recitare quoque Litanias Sanctorum, cum suis precibus et orationibus, prout in Breviario reperiuntur, post psalmos pœnitentiales.

119. Feriâ V. ejusdem hebdomadæ occurrit *festum Ascensionis Domini*, quod unum est e solemnioribus universæ Ecclesiæ, habens ritum Duplicem I. classis, cum octava. Excludit igitur quodcumque Officium occurrens, cujus quidem fit translatio, si transferri valet, secus nihil fit; in concurrentia tamen servantur regulæ expositæ n. 72 et n. 78.

Officium hujus festi, utut ad Paschale tempus spectet, habet tamen tres nocturnos in Matutino; et in hymnis, usque ad Nonam, inclusive, vigiliæ Pentecostes, usurpatur propria conclusio: *Jesu, tibi sit gloria — Qui victor in Cælum redis.*

120. *Octava Ascensionis* non est privilegiata, (cf. n. 34) et admittit omnia Officia, etiam translata.

Dies infra hanc octavam sunt omnes ritus Semiduplicis, et nisi de iis integrum persolvatur Officium, ipsorum fit commemoratio, dummodo non occurrat Duplex I. vel II. classis (cf. n. 66,67). Simplicis autem occurrentis commemoratio obtinet in Officio de octava, cum IX. lectione, si eam habet.

Dies octava est ritus Duplicis minoris, sed in occurrentia, et in concurrentia applicatur respective regula propria diei octavæ communis (cf. n. 48) et exceptio diei octavæ festorum primariorum Domini (cf. n. 73). Quando tamen diei octavæ Officium non persolvitur, nunquam prætermittitur ejus commemoratio in Vesperis utrisque et Laudibus.

Feria VI. et Sabbatum post hanc octavam, considerantur veluti octavæ ejusdem continuatio, eo quod Apostoli, post Ascensionem Domini, perseveraverunt in oratione usque ad Spiritus Sancti adventum. De feria VI. idem est dicendum, relate ad Officium, quod de diebus infra octavam; sed in Sabbato occurrit Vigilia Pentecostes, de qua hic quæ propria sunt subjungimus.

121. *Vigilia Pentecostes* est una ex majoribus privilegiatis et ritus Semiduplicis (cf. n. 35); adnexum habet jejunium. Ipsa nullum admittit Officium occurrens, de quo aut translatio, aut commemoratio facienda est [1].

In Officio, secus ac in Missa, color adhibetur albus, et illud desumitur ex Dominica infra octavam Ascensionis, cum lectionibus propriis vigiliæ. Non dicuntur preces, neque commemoratio Crucis, et octavæ omnes particulares occurrentes cessant post Nonam.

1) In Missa vero nulla peragitur commemoratio. Cf. *Liturgia Missæ, n. 66.*

122. *Festum Pentecostes* [1] ceu alterum Pascha, tum in vetere, tum in novo Testamento, semper fuit celebratum et per illud Ecclesia Christi recolit Spiritum Sanctum illa die super Apostolos illapsum, atque solemnem legis gratiæ a Jesu conditæ promulgationem.

Hoc festum est ritus Duplicis I. classis, cum octava, et inter solemniora Ecclesiæ universæ adnumeratur; idcirco quodvis Officium excludit, quod, si occurrat, vel transfertur in aliam diem, vel penitus omittitur.

Officium festi et infra octavam exigit colorem rubrum, et unicum nocturnum cum tribus lectionibus, uniuscujusque diei propriis, habet in Matutino.

Hymnus ad Tertiam est quotidie *Veni Creator Spiritus*, etc.

123. *Octava Pentecostes* est una ex privilegiatis (cf. n. 34) et, non secus ac Paschatis octava, amovet, quodcumque Officium. Item feriæ II. et III. sunt ritus Duplicis I. classis, quare etiam commemorationes rejiciunt; reliquæ feriæ, quarum ritus est Semiduplex, commemorationem admittunt, sed sine IX. lectione, Officii Simplicis, vel simplificati.

Feriis IV. et VI. ac Sabbato infra octavam occurrunt Quatuor Tempora *æstiva* (cf. n. 90).

Post Nonam Sabbati cessat tempus Paschale, ideoque a Vesperis ejusdem diei incipit ritus temporis non Paschalis.

1) *Pentecostes* etymologice idem sonat ac *quinquaginta dies*, quia tot dies a Paschate decurrunt. In vetere Testamento, die quinquagesima a Paschate, lex Moysi fuit indicta in monte Sinai. Maxima igitur est analogia inter Pentecosten Christianorum et Pentecosten Hebræorum.

CAPUT VII.

De Officiis post tempus Paschale.

124. Tempus decurrens ab absoluta octava Pentecostes, ad Adventum, exclusive, indicat stabilitatem Ecclesiæ a Christo fundatæ in mundo, ejus contra inimicos et persecutores certamina, veritatis et virtutum confirmationem. Hæc omnia satis innuunt lectiones scripturales desumptæ ex libris Regum, ex quinque Sapientialibus, ex libris Job, Tobiæ, Judith, Esther, Machabæorum et ex Prophetis; qui libri vel gesta populi Dei contra suos hostes referunt, vel tradunt præcepta et exempla virtutum.

Toto hoc tempore in Officiis dominicalibus et ferialibus, quæ persolvuntur extra octavas, vigilias cum jejunio et Quatuor Tempora, adhibetur color viridis, et extra octavas dicuntur suffragia Sanctorum, excepta commemoratione de Cruce, atque preces, in omnibus Officiis quæ has et illa exigunt.

Eodem temporis decursu, dies Dominici esse nequeunt pauciores viginti tribus, nec plures viginti octo; at Officia dominicalia sunt viginti quatuor. Quare si dies Dominici sunt viginti tres, in Dominica XXIII. persolvitur Officium proprium Dominicæ XXIV., et Officium illius anticipatur in præcedentem hebdomadam. Si vero dies Dominici plures sint quam Officia dominicalia, illis diebus, qui supersunt assignantur Officia dominicalia, quæ post Epiphaniam, ante Septuagesimam illius anni, pariter superfuerunt (cf. n. 107).

125. Dominica I. est una ex privilegiatis I. classis, idque propter *festum SS. Trinitatis*, quod habet adnexum, et quod ritu Duplici II. classis potitur.

Ipsa nullum recipit Officium occurrens, de quo igitur translatio aut commemoratio, sine IX. lectione, fieri debet. Officium, quod hac die persolvitur, est de SS. Trinitate, cum commemoratione Dominicæ in Vesperis utrisque et Laudibus, atque IX. lectione ex homilia in Matutino.

In concurrentia attenditur ad ritum festi SS. Trinitatis et huic regulæ generales applicantur; Dominica autem ceu quælibet alia infra annum consideratur.

Quoad ritum proprium hujus Dominicæ, qua talis, cf. n. 37, nota I.

Ubi SS. Trinitas est Ecclesiæ Titularis, hujus festum ritum obtinet Duplicem I classis, et tunc solam commemorationem Dominicæ, non alias, admittit.

126. Feriâ V. post Dominicam SS. Trinitatis, occurrit *festum Corporis Christi*, unum e solemnioribus universæ Ecclesiæ et ritus Duplicis I. classis, cum octava.

Quodlibet Officium occurrens, aut transfertur, aut prorsus omittitur; in concurrentia servatur regula data n. 72 et 78. Quoniam vero hoc festo et per octavam recolitur solemni pompa illud mysterium, quod in Cœna Paschali a Jesu Christo fuit institutum, hinc, ad instar Paschalis temporis, *Alleluja*, sæpe interseritur in Officio.

127. *Octava SS. Corporis Christi* est una ex privilegiatis (cf. n. 34) et infra eam peraguntur festa ritus Duplicis occurrentia; item translata ritus Duplicis I. et II. classis. Cetera festa commemorantur tantum, sine IX. lectione, si Officium persolvitur de die infra octavam; cum dicta lectione, si Officium persolvitur de alio festo, vel si lectio est de vigilia occurrente.

Alicubi etiam privilegium conceditur ita celebrandi octavam hujusmodi, ut infra eam non admittantur nisi Duplicia I. et II. classis, sive occurrentia, sive translata. Imo et alio potiori privilegio insigniri potest octava eadem, nempe ut ab ipsa recipiantur tantum Duplicia I. classis vel occurrentia, vel perpetuo translata, ut proprium est octavæ Epiphaniæ (cf. n. 104) Hoc casu reliquæ octavæ occurrentes cessare debent.

In quovis autem casu, diei infra octavam Corporis Christi commemoratio agitur.

Dies octava Corporis Christi est ritus Duplicis minoris, sed in occurrentia cedit tantum festo ritus Duplicis I. classis [1]; in concurrentia applicatur exceptio indicata n. 73.

Per totam Octavam, hymni habent propriam conclusionem : *Jesu, tibi sit gloria — Qui natus es de Virgine*, etc.

128. Feriæ VI. post octavam Corporis Christi est assignatum *festum SS. Cordis Jesu*, quod est ritus Duplicis I. classis et secundarium, unde cedit festis ejusdem ritus primariis, quibus reapse occurrentibus, illud transfertur in diem immediate sequentem, veluti in sedem propriam [2].

Die præcedenti qua fit Officium de die octava Corporis Christi, vel cum hujus commemoratione, sequentis festi SS. Cordis Jesu commemoratio excluditur in Vesperis [3] (cf. n. 79, nota).

1) *Breviar. Rom. Rubr. spec. ante fest. Corp. Christi.*
2) S. R. C. Decr. Urb. et Orb. 28 Junii 1889, n. 3712.
3) S. R. C. 27 Mart. 1824, n. 2632, ad II.

CAPUT VIII.

De Officiis festorum.

129. Jam supra exposuimus quid proprium sit quorumdam festorum et Officiorum, eorum nempe quæ, utpote adnexa Dominicis et feriis juxta computationem anni ecclesiastici, maxime cum Officiis de tempore connectuntur. Remanet ut ea modo exponamus, quæ ad Officia spectant aliorum festorum, eorum nempe quæ, sive fixa sint, sive mobilia, anni civilis computationem sequuntur.

Ea tamen, singulis mensibus, Officia declaranda seligimus, quæ potiora et notatu digniora videntur.

130. Mense **Januario**. Die 18. *Cathedræ S. Petri Ap. Romæ*. Dupl. maj. In utrisque Vesperis ac in Laudibus fit commemoratio S. Pauli Ap., ante alias, et quidem per totam octavam, ubi hæc obtinet, v. g. ratione Titularis. Idem dicatur de festis *Cathedræ S. Petri Ap. Antiochiæ* (22 Februarii) et *S. Petri ad Vincula* (1 Augusti). Versa vice, in festis *Conversionis S. Pauli Ap.* (25 Januarii) et *Commemorationis* ejusdem (30 Junii), fit commemoratio S. Petri Ap., modo quo ante.

Die 23. *Desponsationis B. Mariæ V.* Dupl. maj. Non est festum universale, sed pro aliquibus locis, et secundarium; alicubi indulgetur ritus altior. In utrisque Vesperis ac in Laudibus, ab illis quibus fuit facta concessio [1], fit, ante alias, commemoratio S. Joseph, etiam infra octavam, ubi hæc celebratur. Hujusmodi commemoratio desumitur ex festo S. Joseph (die 19 Martii). In occurrentia hujus

1) S. R. C. 5 Maj 1736, n. 2319, ad tit. IX.

festi cum festo S. Familiæ, illud præfertur, quod ritum habet altiorem; si autem par est ritus, præfertur festum S. Familiæ : in utroque casu alterum transfertur. In concurrentia, pariter vincit, in paritate ritus, festum S. Familiæ ; vincit autem festum Desponsationis, si hujus ritus est altior : in utroque casu omittitur alterius commemoratio [1]. Hic enim habetur identitas festorum saltem *subjectiva*, quæ sufficit, quando non agitur de duplici festo Domini, ad alterius commemorationem excludendam (cf. n. 79). In hymnis hodierni Officii usurpatur conclusio propria : *Jesu, tibi sit gloria — Qui natus es de Virgine*, etc.

131. Mense **Februario**. Die 2. *Purificationis B. Mariæ V.* Dupl. II. cl. — Si hoc festum incidat in unam ex Dominicis privilegiatis, transfertur, tamquam in suam sedem, in primam diem, vel, hac impedita a Duplici I. classis, in alteram diem immediate sequentem.

Quare vidimus utramque hujusmodi diem liberam esse debere ad recipiendum Officium hujus festi, quando sua die impeditum sit (cf. n. 63).

In Officio hujus festi, hymni habent propriam conclusionem : *Jesu, tibi sit gloria — Qui natus es de Virgine*, etc.

Die 24. *S. Mathiæ Ap.* Dupl. II. cl. — In anno bissextili hoc festum peragitur die 25, et sic alia festa assignata diebus 25, 26, 27, 28 transferuntur respective ad sequentem diem [2]. Idem festum habet vigiliam, sine jejunio, de qua, cum incidit in Quadragesimam, vel in festum Duplex I. classis, nihil fit in Officio; secus fit commemoratio, cum IX. lectione ex homilia in Matutino.

1) Cf. S. R. C. 27 Junii 1899, n. 4042, ad III.
2) S. R. C. 9 Junii 1884, n. 3611, ad V.

132. Mense **Martio.** Die 19. *S. Joseph Sponsi B. M. V.* Dupl. I. cl. — Festum hoc est unum e solemnioribus universæ Ecclesiæ (cf. n. 33). Cum incidit in Dominicam Passionis, vel in Majorem Hebdomadam, reponitur, in primo casu, in sequenti feria II., in altero casu, in feria IV. post Dominicam in Albis, vel in die quæ illas ferias subsequitur, si ipsæ impeditæ exsistant ab occurrente Duplici I. classis, primario.

Die 25. *Annuntiationis B. Mariæ V.* Dupl. I. classis. — Etiam hujusmodi festum est unum e solemnioribus Ecclesiæ universæ (cf. n. 33). Si incidit in Dominicam Passionis, transfertur ad feriam sequentem, vel ad alteram, si illa impediatur ab occurrente festo primario ejusdem ritus. Si incidit in unam ex quatuor primis feriis Majoris Hebdomadæ, transfertur ad feriam II. post Dominicam in Albis, vel ad sequentem feriam III. si illa impediatur ut supra. Si vero incidit in feriam VI. in Parasceve, vel in Sabbatum Sanctum, non solum Officium, sed et solemnitas cum feriatione transfertur in feriam II. post Dominicam in Albis, quovis hinc amoto occurrente Officio [1].

Hoc festum eo tempore occurrit, quo nullæ octavæ particulares permittuntur, nisi ex indulto, quod alicubi concessum novimus.

In hymnis Officiorum, quæ in hoc festo et infra octavam, ubi hæc indulta fuit, recitantur, est dicenda conclusio propria : *Jesu, tibi sit gloria — Qui natus es de Virgine*, etc.

133 Mense **Junio**. Die 11. *S. Barnabæ Ap.* Dupl. maj. — Quæsitum fuit : « An festum et Officium

1) S. R. C. Decr. 27 Junii 1893, n. 3807 et 14 Aug. 1894, n. 3838.

S. Barnabæ Ap. in occurrentia et concurrentia cum festis et Officiis aliorum Sanctorum, necnon in repositione, ceteris paribus, sit præferendum ? » S. R. C. respondit : « *Affirmative*, ratione dignitatis apostolicæ »[1].

Die 24. *Nativitatis S. Joannis Baptistæ*. Dupl. I. cl. cum octava. — Est unum ex festis solemnioribus Ecclesiæ universalis (cf. n. 33) ; ideo expungit festum SS. Cordis Jesu, si hoc in eamdem incidit diem. Quando autem occurrit in solemnitate Corporis Christi, reponitur, veluti in sede propria, in feria VI. sequenti, vel in sequenti Sabbato, si illa impediatur ab alio occurrente festo primario ejusdem ritus.

Hoc festum habet vigiliam, sine jejunio, de qua fit saltem commemoratio, cum IX. lectione ex homilia in Matutino, nisi occurrat Duplex I. classis ; habet et octavam communem.

Die 29. *Ss. Petri et Pauli Ap.* Dupl. I. cl. cum octava. — Etiam hoc festum accensetur solemnioribus universalibus (cf. n. 33); quare si occurrit cum festo SS. Cordis Jesu, cujus ritus par est, hoc alterum transfertur.

Olim omnium simul Apostolorum festum agebatur ; inde festa distincta pro singulis, aut binis, constituta fuerunt. Hinc alicubi conceditur ut in Officio hodierno addi possit commemoratio omnium Ss. Apostolorum. Et quoniam R. Pontifex solebat Romæ sacrum hac die peragere tum in Basilica S. Petri, tum in Basilica S. Pauli, ne nimium defatigaretur, serius statutum est ut alterius Apostoli commemoratio die insequenti ageretur.

Festum hoc habet vigiliam, cum jejunio, de qua

1) S. R. C. 11 Aug. 1901.

fit saltem commemoratio cum IX. lectione ex homilia in Matutino, nisi occurrat Duplex I. classis; habet quoque adnexam octavam communem, infra quam Officium sumitur ex *Communi Apostolorum*, exceptis lectionibus, quæ propriæ sunt.

Romæ, hæc octava singulare privilegium habet, et ideo quavis die saltem commemorationem obtinet [1].

134. Mense **Julio**. Dom. I. *Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.* Dupl. II. cl. — Quoties hoc festum, quod secundarium est, impeditur ab alio ritus altioris vel etiam æqualis, sed primario, ipsum transfertur in primam diem non occupatam a festo ritus Duplicis I. vel II. classis.

Hoc festum mobilibus improprie dictis accensetur (cf. n. 33).

Dom. III. *SS. Redemptoris*. Dupl. maj. — Est festum particulare et secundarium, atque mobile proprie dictum (cf. n. 33); ideo, sine indulto, cum impeditur, transferri non potest. Alicubi altiori potitur ritu.

135. Mense **Augusto**. Die 15. *Assumptionis B. Mariæ V.* Dupl. I cl. cum octava. — Hoc festum locum tenet inter solemniora Ecclesiæ universæ (cf. n. 33), et inter festa in honorem Deiparæ instituta est excellentissimum, quum in eo celebret Ecclesia eximium singularemque triumphum Beatissimæ Virginis, qua die, solutis vinculis mortis, ejus anima cum corpore, ut constans tenet traditio, in Cælum fuit assumpta, ut ibi Angelorum hominumque Regina constitueretur.

Quare hujusmodi festum nulli alteri cedit, imo habetur pro Titulari illarum Ecclesiarum, quæ

1) S. R. C. Decr. Gener. 5 Julii 1883, n. 3581, III.

sunt dicatæ B. Mariæ V., sine alia denominatione, vel sub denominatione, cujus, infra annum, festum non agitur (cf. n. 154).

Idem festum prævenitur vigiliâ cum jejunio, de qua, ut de more, fit saltem commemoratio, cum IX. lectione ex homilia in Matutino, nisi occurrat Duplex I. classis ; habet quoque octavam communem, de qua commemoratio fit ante commemorationem octavæ, pariter occurrentis, S. Laurentii M. (cf. n. 55).

Dom. infra octavam Assumptionis B. M. V. *S. Joachim Patris B. M. V.* Dupl. II. cl. — Celebratur festum hoc in universa Ecclesia et mobilibus improprie dictis est accensendum ; unde cedit tantum festis altioris ritus, et, in paritate ritus, altioris dignitatis (cf. n. 52).

Dom. post octavam Assumptionis B. M. V. *Purissimi Cordis B. Mariæ V.* Dupl. maj. — Particulare est hoc festum, secundarium et mobile ; unde, sine indulto, transferri non potest, si impediatur.

136. Mense **Septembri**. Dom. infra octavam Nativitatis B. M. V. *SS. Nominis B. Mariæ V.* Dupl. maj. — Est festum universale, secundarium et mobile improprie dictum (cf. n. 33). Si occurrit in die octava Nativitatis B. M. V., fit Officium de SS. Nomine, sine commemoratione octavæ. Si vero occurrit in die octava alterius festi, præterquam B. Mariæ V., vel in alio festo digniori, aut ritus æqualis sed primario, transfertur festum SS. Nominis in primam diem liberam.

Dom. III. *Septem Dolorum B. Mariæ V.* Dupl. maj. — Est festum secundarium et mobile improprie dictum. « Quod si ejusmodi festum Dolorum cum alio occurrat, cui vi Rubricarum cedere locum debet, transferatur in primam, post III. Septembris,

Dominicam, dummodo Duplici majore primario, aut alio de eadem Deipara etiam secundario, aut octava aliqua die non impediatur. Si vero Dominicæ omnes post dictam habeantur impeditæ, transferatur de more in primam diem liberam juxta Rubricam [1] ».

137. Mense **Octobri**. Dom. I. *Solemnitas SS. Rosarii B. Mariæ V.* Dupl. II. cl. — Festum universale est, secundarium et mobile improprie dictum. Cum impeditur, fit ejus translatio juxta Rubricas [2].

Dom. II. *Maternitatis B. Mariæ V.* Dupl. maj. Est particulare festum, secundarium et mobile ; quare sine indulto nequit transferri.

Dom. III. *Puritatis B. Mariæ V.* Dupl. maj. Eadem dicantur ac de festo Maternitatis.

In Officiis horum festorum, hymni habent conclusionem propriam : *Jesu tibi sit gloria — Qui natus es de Virgine*, etc.

138. Mense **Novembri**. Die 1. *Omnium Sanctorum*. Dupl. I. cl. cum octava. — Aequum erat et pietati congruum una die simul omnium Cælitum gloriam celebrari, ne ipsorum plurimi debito carerent honore, qui anni decursu, ob illorum maximam multitudinem, tribui singillatim nequit prorsus. Solemnissimum igitur est hoc festum, quod nulli locum cedit. Habet adnexam tum vigiliam cum jejunio, de qua, nisi occurrat Duplex I classis, fit saltem commemoratio, cum IX. lectione in Matutino, tum octavam communem.

Die 2. *Commemoratio Omnium Fidelium Defun-*

1) Ita S. R. C. Decr. Gener. 23 Apr. 1895, n. 3851. Unde festum Dolorum reponi nequit in Dominica in qua occurrit festum B. M. V. de Mercede (24 Sept.), vel dies octava Patroni, Titularis, Dedicationis, etc.

2) S. R. C. 4 Dec. 1896, n. 3932, ad I.

ctorum. — Si hæc dies incidit in Dominicam, vel in festum, quod aut feriationem habet, aut est ritus Duplicis I. classis, commemoratio Defunctorum transfertur in sequentem diem tertiam, pariter non impeditam, translato, juxta Rubricas, occurrente Duplici II. classis. Sed de die octava, aut de festo Duplici majore, vel minore, vel Semiduplici occurrentibus, sicut de alio festo translato, cui in Calendario locus pro eo anno non suppetat, Officium fit [1].

Dom. III. *Patrocinii B. Mariæ V.* Dupl. mai. Cf. dicta de festo Maternitatis.

139. Mense **Decembri**. Die 8. *Immaculatæ Conceptionis B. M. V.* Dupl. I. cl. cum octava. — Prius apud Græcos, quam apud Latinos, mos viguit celebrandi hoc festum, quod maximum tribuit honorem singulari privilegio, quo sola, inter filios Adæ, illa mulier fuit donata, quæ Filii Dei præclarissima Mater futura erat. Celebratio hujus solemnitatis ad universam Ecclesiam nonnisi sæculo XV. fuit extensa, sub ritu Duplici minore, qui dein elatus fuit ad Duplicem II. classis et demum, auctore Leone XIII. P. M., ad Duplicem I. classis.

Attamen Deiparam sine labe peccati originalis fuisse conceptam, dogmatica definitione declaravit Pius IX. P. M., die 8 Decembris 1854, adprobato dein etiam novo Officio, quod nunc legere tenemur.

Hoc festum, cum sit unum e solemnioribus universalibus (cf. n. 33), aliud quodcumque expungit, et quando incidit in Dominicam II. Adventus, hujus quidem admittit commemorationem, cum IX. lectione ex homilia in Matutino.

Idem festum habet vigiliam, sine jejunio, de qua

1) S. R. C. Decr. Gener. 9 Julii 1895, n. 3864, II. et III.

in Officio nihil fit, cum occurrat in Adventu (cf. n. 95); habet quoque octavam communem.

In Officio hodierno et per octavam hymni concluduntur propria conclusione: *Jesu, tibi sit gloria — Qui natus es de Virgine*, etc.

Die 26. *S. Stephani Protomart.* Dupl. II. cl. cum octava. — In Laudibus et utrisque Vesperis, ubi concessa est, fit commemoratio omnium Ss. Martyrum, quæ juxta indultum, vel habetur propria, vel desumitur ex Communi plurimorum Martyrum.

In 2 Vesperis, ut jam monuimus (n. 100), dicuntur psalmi de octava Nativitatis Domini, et a capitulo fit de S. Stephano, adjectis commemorationibus sequentis festi S. Joannis Apost. et Evang., octavæ Nativitatis et Ss. Martyrum, ut supra diximus.

Ubi S. Stephanus est præcipuus loci Patronus, vel Ecclesiæ Titularis, hoc festum habet ritum Duplicem I. classis, sed in Officio persolvendo nulla inducitur mutatio, ne quidem quoad commemorationem Ss. Martyrum, ubi hæc indulta fuit.

Die 27. *S. Joannis Apost. et Evang.* Dupl. II. cl., cum octava. — Hodie fit commemoratio octavarum Nativitatis et S. Stephani. In 2 Vesperis, psalmi sunt de Nativitate (cf. n. 100); a capitulo fit de S. Joanne cum commemoratione sequentis festi Ss. Innocentium et duarum octavarum.

Ubi S. Joannes est præcipuus loci Patronus, vel Ecclesiæ Titularis, ejus festum peragitur ritu Duplici I. classis. In hoc casu, in 1 Vesperis, dictis psalmis de Nativitate, fit a capitulo de S. Joanne, adjectis commemorationibus S. Stephani, Nativitatis et Ss. Martyrum. Inde vero omittitur commemoratio S. Stephani, quæ esset facienda in Laudibus et 2 Vesperis, atque, infra octavam, commemoratio S. Joannis præfertur commemorationi S. Stephani.

CAPUT IX.

De Officiis Propriis et Communibus.

140. Officia Sanctorum alia sunt *propria*, alia *de communi*; illa continentur in tertia, hæc in quarta parte Breviarii Romani. Propria autem talia sunt modo ex integro, modo ex parte, puta quoad orationem, vel lectiones, vel hymnos, vel antiphonas; tunc, partes, quæ in proprio desunt, ex communi desumuntur. Aliquando Sanctorum Officium est de communi pro universa Ecclesia, sed proprium pro aliquibus locis, ex peculiari concessione, et hoc inseritur in quinta Breviarii parte, vel in adjecta Appendice (cf. n. 9).

« Precibus Calendaristæ Diœcesis Calliensis, exquirentis num in nonnullis peculiaribus Officiis, præter lectiones et orationes, legi etiam debeant alia quæ propria approbata sunt pro aliis Diœcesibus, quamvis extensionis indultum id non exprimat; a S. R. C. rescriptum fuit: *Negative* in omnibus; sed juxta indultum [1] ».

141. Officiorum de communi sex possunt enumerari species, videlicet: Commune I. Apostolorum et Evangelistarum, II. Martyrum, III. Confessorum, IV. Virginum et non Virginum, V. Dedicationis Ecclesiæ, VI. B. Mariæ V. per annum.

De singulis pauca.

I. *Commune Apostolorum et Evangelistarum.* Hoc Officium duplex est; alterum extra tempus paschale, alterum paschali tempore usurpatur. Utrumque tamen communes habet psalmos et lectio-

1) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2870.

nes. Tribuitur autem undecim Apostolis et S. Paulo a Christo vocatis; item S. Mathiæ, proditori Judæ suffecto, et S. Barnabæ sibi adjuncto ab Apostolis, necnon S. Lucæ et S. Marco, qui Evangelistæ tantum fuerunt, sed in S. Liturgia juribus Apostolorum propriis fruuntur. Verum pro Evangelistis adsunt lectiones distinctæ, dicendæ in Matutino.

II. *Commune Martyrum.* Triplex heic habetur commune Officium, seu *unius Martyris*, *plurimorum Martyrum*, *et Martyrum tempore paschali.*

In singulis plures sunt designatæ et lectiones et orationes, prout agitur de Martyribus qui Pontificali dignitate fuerunt, vel non, insigniti.

Responsorium post VIII. lectionem, in commune unius Martyris, est *Hic est vere Martyr*; sed in festis Sanctorum Eusebii, Marcelli, Joannis, Silverii, Martini et Pontiani et eorum qui non perierunt effuso sanguine, sed ærumnas perpessi, fidei testimonium dederunt, substituitur responsorium *Domine prævenisti.* Item in communi plurimorum Martyrum, lectioni VIII. adjicitur responsorium: *Hæc est vera fraternitas*, cum festum agitur plurium Martyrum, qui fratres fuerunt secundum carnem, vel, pro Regularibus, qui ejusdem Ordinis sodales fuerunt.

III. *Commune Confessorum.* Confessores hic intelliguntur Sancti illi, qui alias, quam martyrio, fidem Christi confessi sunt. Et siquidem Episcopali dignitate insigniti fuerint, vocantur *Pontifices*; secus, *non Pontifices* dicuntur. Quare hoc commune est duplex, seu *Confessorum Pontificum*, et *Confessorum non Pontificum.* Nihilominus psalmi omnes, si excipitur ultimus in 2 Vesperis, sunt utrique Officio communes. Et ibi plures exstant lectiones et orationes, distinctæ quidem pro Doctoribus et pro Abbatibus. Quænam ex pluribus assignatis

lectionibus sint sumendæ in singulis Officiis, id determinatur vel natura rei, vel Decretis S. R. Congregationis. Ita, v. g., in communi Confessorum non Pontificum lectiones I. nocturni, quæ in I. loco reperiuntur et incipiunt verbis *Justus si morte præoccupatus fuerit*, congruunt illis Sanctis qui viridi adhuc ætate ex hac vita migrarunt; dum illis qui ad longam usque senectutem pervenerunt, magis aptantur lectiones positæ in II. loco, seu *Beatus vir*, etc. Item pro Doctoribus Latinis, in I. nocturno dicuntur lectiones incipientes *Sapientiam*; pro Doctoribus Græcis, dicuntur de Scriptura occurrente. At nonnumquam pro utrisque rem mutat S. Sedes.

IV. *Commune Virginum et non Virginum*. Quatuor sunt hujus communis Officia, seu *Virginum*, *Virginum Martyrum*, *Martyrum non Virginum*, *nec Martyrum nec Virginum*. Psalmi tamen sunt iidem pro omnibus; cetera, aut omnia, aut plurima, unicuique propria sunt.

V, *Commune Dedicationis Ecclesiæ*. Speciatim de festo Dedicationis Ecclesiæ infra dicemus.

VI. *Commune B. Mariæ V*. « In festis B. Mariæ (exceptis iis, quæ propria in illis habentur) hymni, novem psalmi et alia quædam requirenda sunt ex communi ejus Officio, circa finem Breviarii, quod inscribitur: In festis B. Mariæ V. per annum. » Hæc Rubrica Breviarii [1].

Officium B. Mariæ in Sabbato, quod sequitur, recitatur in Choro in omnibus Sabbatis, extra Adventum et Quadragesimam, non impeditis juxta Rubricas. Hoc Officium a S. Pio V. P. M. subrogatum fuit obligationi, quæ antea vigebat, recitandi nimirum quotidie *Officium parvum* ejusdem Deiparæ, una cum Officio divino.

1) *Breviar Rom. Rubr. Gener. Tit. XII. n. 5.*

TITULUS V.

DE NONNULLIS OFFICIIS PARTICULARIBUS.

CAPUT I.

De Officio Dedicationis Ecclesiæ.

142. Locum illum, in quo Deo renascimur omnes, sæpe amissam gratiam recipimus, verbo divino et angelico pane quotidie pascimur, precibus effusis efficacius excitamus Dei clementiam, decebat a profanis secernere rebus et sacro ritu Domino dicare, ut, qua par est, reverenti pietate, ab hominibus spectaretur et coleretur.

Factum est igitur ut a primis jam Ecclesiæ temporibus, ex quo nempe publicis datum est templis uti, statueretur horum consecratio, ab Episcopo peragenda, pluribus comitantibus Clericis, magno aspersionum, unctionum et cæremoniarum apparatu [1].

143. Insuper peculiare Dedicationis Ecclesiæ Officium fuit propositum, quod ipsa die, qua Ecclesia aliqua consecratur, a Clericis huic adscriptis recitari debet. Hujus tamen recitationis obligatio non extenditur ad integrum Officium Dedicationis, sed incipit ab Hora minore Tertia, seu ab ea, quæ consecrationem jam peractam subsequitur. Horæ autem præcedentes, scilicet Vesperæ, Matutinum cum Laudibus et Prima, persolvuntur de Officio

1) Ritus consecrandi Ecclesiam primitus videtur institutus a S. Silvestro I. (314-337).

occurrente, prout indicatur in Calendario; a Tertia et deinceps, seposito Officio incepto, recitatur Officium Dedicationis Ecclesiæ, sub ritu Duplici I. classis, cum octava.

144. Præterea, ne hujus solemnitatis memoria facile excideret, statutum fuit ut ipsius anniversarium quotannis celebraretur, per festum et Officium, pariter sub ritu Duplici I. classis, cum octava.

Porro, quæ ad hoc festum et Officium spectant, sequenti Decreto Generali S. R. Congregationis indicantur:

« Ad omnes in posterum controversias circa Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ penitus evellendas, S. R. C. in Comitiis pro nova Collectione authentica Decretorum evulganda, subsignata die ad Vaticanum habitis, statuit et declaravit:

I. Dedicationem Ecclesiæ, ejusque proinde Anniversarium, esse festum Domini.

II. Hinc Ecclesiæ propriæ Anniversarium, juxta Rubricas solemnius et primarium, aliis quibuscumque locorum festis, etiam Patroni et Titularis, esse per se præferendum, tam in occursu quam in concursu; permitti nihilominus, ut Patroni festum cujuscumque sit personalis dignitatis, ratione feriationis, prædicto Anniversario præferatur.

III. Anniversarium vero Dedicationis Ecclesiæ non propriæ, uti secundarium habendum esse, et si cum aliis quibuscumque festis occurrat vel concurrat, servandas esse Rubricas et Decretum generale super primariis et secundariis festis.

IV. Ejusdem autem Dedicationis Ecclesiæ propriæ, sive non propriæ, Anniversario occurrente vel concurrente cum festis solemnioribus universalis Ecclesiæ, hæc semper illi prævalere, personali etiam dignitate posthabita, juxta Rubricas.

V. Quamvis fixa esse debeat illa dies Anniversaria Dedicationis Ecclesiæ, quæ infra annum a Consecratione recurrit; nihilominus Episcopo Ecclesiam consecranti jus inhærere, juxta Decreta alias edita, aliam diem fixam vel etiam Dominicam, dummodo in Consecrationis actu, seligendi pro illius Anniversario quotannis solemnius celebrando; exceptis Duplicibus I. aut II. classis universalis Ecclesiæ, necnon quibuscumque Dominicis privilegiatis, et Duplicibus I. classis Ecclesiarum particularium [1] ».

Et in alio Decreto hæc statuuntur:

« III. Anniversarium vero Dedicationis Ecclesiæ eodem sub ritu (Duplici I. classis) ab omni Clero recolatur, qui ad eamdem Ecclesiam.... utpote propriam pertinet. Quod si alicui Diœcesi, vel Instituto concessum sit Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum uno eodemque die celebrare, omnes et singuli de relativo Clero, quibus indultum favet, dictum festum semel celebrabunt sub ritu Duplici I. classis, cum octava, sive Ecclesia propria consecrata, sive benedicta tantum fuerit, cujuscumque particularis alterius Ecclesiæ Dedicationis festo omisso.

IV. Ad Anniversarium autem quod spectat Dedicationis Cathedralis Ecclesiæ, S. R. C. jubet, ut illud celebretur ab universo Clero sæculari Diœcesis sub ritu Duplici I. classis, in Civitate episcopali cum octava, extra vero sine octava. Idem festum recolent ii tantum ex Clero regulari, qui in Civitate degunt episcopali, sub ritu Duplici II. classis, sine octava » [2].

1) S. R. C. Decret. Gener. 4 Febr. 1896, n. 3881.
2) S. R. C. Decret. Gener. 9 Julii 1895, n. 3863.

145. Ex quibus liquet ; 1° Ecclesiarum tantum, quæ consecratæ, non vero earum, quæ benedictæ dumtaxat fuerunt, Dedicationis anniversarium peragi ; 2° ad hujus anniversarii Officium recitandum teneri solum Clericos illos quibus Ecclesia propria est, aut ratione beneficii, ceu v. g. Parochis contingit, quoad suam Ecclesiam, et universo Clero, quoad Ecclesiam Cathedralem ; 3° festum Dedicationis Ecclesiæ propriæ esse primarium, Ecclesiæ non propriæ, v. g. Cathedralis pro Clero illi non addicto, esse secundarium. Excipiuntur tamen festa Dedicationis S. Michaelis Archangeli et Basilicarum SS. Salvatoris, S. Mariæ ad Nives, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, quæ in universali Calendario sunt inserta et pro tota Ecclesia sunt primaria ; 4° dari posse indultum celebrandi una eademque die anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum, Cathedrali non exclusa, totius Diœcesis, vel Ordinis ; quo casu omnes Sacerdotes tenentur Officium Dedicationis illa die recitare, ita tamen ut in Ecclesiis non consecratis tamquam secundarium hujusmodi festum celebretur, in Ecclesiis consecratis, tamquam primarium [1] ; 5° festum Dedicationis esse e solemnioribus particularibus (cf. n. 33), ideoque locum cedere solemnioribus universalibus, sed inter particularia primum locum tenere ; 6° idem festum esse Domini, et consequenter diem ejus octavam in concursu Vesperas non cedere nisi Duplicibus I. et II. classis (cf. n. 73).

146. Novas heic subjungimus responsiones S. R. Congregationis [2] :

I. « Quando Dedicatio propriæ Ecclesiæ occur-

1) S. R. C. 4 Mart. 1901, ad III.
2) Apud *Ephem. Liturg. an. 1901, pag. 332 et 334,* ubi duo sub eadem die referuntur Decreta.

rit vel concurrit cum festo Titulari ipsius Ecclesiæ, et festum Titulare est Transfiguratio Domini vel SS. Redemptor, in occursu vel concursu quodnam est præferendum ? » S. R. C. respondit : « Quum enuntiatus titulus sit festum Domini, in occursu festum Titulare præferendum est Dedicationi ; in concursu Vesperæ dividantur. »

II. « In concursu diei octavæ Dedicationis propriæ Ecclesiæ cum festis Transfigurationis Domini, vel Dedicationis Basilicarum SS. Salvatoris et Ss. Apostolorum Petri et Pauli Almæ Urbis, quomodo ordinandæ sunt Vesperæ ? » S. R. C. respondit : « Dies octava Dedicationis Ecclesiæ propriæ non cedit, juxta Rubricas, nisi Duplici II. classis. »

III. « Concurrente die octava Dedicationis propriæ Ecclesiæ Dupl. min. cum festo Dedicationis Basilicarum Ss. Ap. Petri et Pauli Dupl. maj. quomodo ordinandæ erunt Vesperæ ? » S. R. C. respondit : « Vesperæ erunt de die octava cum commemoratione de sequenti. »

IV. « In primis Vesperis festi Duplicis I. classis commemoratio diei octavæ Dedicationis propriæ Ecclesiæ, cujus Officium mane persolutum fuit, faciendane est vel omittenda ? » S. R. C. respondit : « *Affirmative* ad I. partem, *Negative* ad II. »

CAPUT II.

De Officio Patroni loci.

147. Patronus est Sanctus à populo, consentiente Episcopo et S. Sede approbante, perpetuo electus, tamquam peculiaris apud Deum intercessor alicujus loci, seu pagi, civitatis, diœcesis, provinciæ, regni, etc. Qui nondum fuit canonizatus, sed Beati tantum

titulo gaudet, nequit in Patronum eligi; attamen electio ejusdem peracta ante annum 1630, quo Decretum Urbani VIII. prodiit, sustinetur. Nunquam licet ad hunc effectum mysterium aliquod eligere, v. g. SS. Trinitatem, SS. Sacramentum, S. Crucem, etc.; in his enim intercessor apud Deum non intelligitur.

Electio Patroni semel facta et a S. Sede approbata nequit amplius revocari, sine Apostolico indulto.

148. Per se nulla est obligatio habendi Patronum loci, sed ubi hic exstat, secum affert præceptum ipsum colendi. E contra, plures etiam possunt Patroni admitti, v. g. unus provinciæ, alter diœcesis, tertius civitatis, etc., vel plures ejusdem loci, v. g. unius civitatis, quo altero casu vel omnes æque coluntur ceu principales, vel unus est principalis, alii autem minus principales.

149. Patronus datur præcise alicui loco, seu territorio; unde colitur in omnibus Ecclesiis, Oratoriis et Cappellis intra illius ambitum exsistentibus. Nonnisi per accidens habet determinatam Ecclesiam, quæ ab ipso titulum adsciscit; in hoc casu Patronus est dictæ Ecclesiæ Titularis, de quo infra dicemus.

Porro festum Patroni principalis regni, provinciæ, diœcesis, civitatis, pagi, celebratur a toto Clero respectivi loci, sub ritu Duplici I. classis, et quidem a clero sæculari cum octava, a clero regulari sine octava. Insuper Patronus loci feriationem affert; sed si Patronus diœcesis sit alius a civitatis, vel pagi Patrono, hujus tantum, in his ultimis locis, feriatio obtinet, et illius potest in civitate, vel pago peragi festum ex consuetudine inductum, sed absque feriatione [1].

1) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, ad XXXVIII.

Patronorum minus principalium festum peragitur a solis Clericis sæcularibus loci, sub ritu Duplici majore, nisi aliud consuetudo induxerit, et sine octava.

Quando plures sunt Patroni æque principales, singulorum festum fit die, qua unumquodque occurrit, independenter ab aliis, sub ritu Duplici I. classis, cum octava; ipsi autem simul celebrantur, si festum eorum occurrit eadem die.

Id tamen est notandum festum Patronorum, sive principalium, sive non principalium, esse semper *primarium*, etsi forte, per se, inter secundaria sit recensitum (cf. n. 38).

150. Si Patronus est Sanctus aliquis, qui alium vel alios Sanctos habet in Calendario Socios festi et Officii, videndum est num *per se*, an *per accidens* hi sint illi conjuncti. Conjuncti dicuntur *per se* illi, inter quos ratio consanguineitatis, aut affinitatis exsistit, ut v. g. Ss. Cosma et Damianus, Ss. Gervasius et Protasius, qui respective fratres erant carnales; ita S. Eustachius cum uxore et filiis suis, etc. Dicuntur *per accidens* conjuncti illi, quorum unio est occasionalis tantum, quia nempe eadem die, vel etiam eodem loco, martyrio occubuerunt, ut v. g. Ss. Fabianus et Sebastianus, Ss. Vincentius et Anastasius, Ss. Januarius et Socii, etc.

Jamvero, Socii Patrono principali conjuncti priore modo, seu *per se*, ab eo non separantur, sed de omnibus simul fit Officium in festo Patroni, ritu hujus proprio. Si autem Socii sunt conjuncti Patrono principali altero modo, seu *per accidens*, ab eo separantur, et siquidem ipsorum ritus sit Simplex, nihil de iis fit; si ritus sit Semiduplex, vel Duplex minor, aut major, ipsorum Officium transfertur perpetuo in primam diem liberam, qua

quidem indistincte sub ritu Semiduplici illud persolvitur; si tandem ritus sit Duplex II. vel I. classis, Officium eorumdem pariter perpetuo transfertur et absque ritus mutatione peragitur [1].

Exempla: Die 18 Julii est festum S. Symphorosæ cum septem filiis ejus, sub ritu Simplici. Ubi S. Symphorosa tantum est Patrona loci, ejus filii nequaquam ab ea disjunguntur, sed simul cum ea coluntur, eadem die, eodemque ritu proprio Patroni, seu Duplici I. classis.

Die 13 Augusti recolitur memoria Ss. Hippolyti et Cassiani, Martyrum, ritu Simplici. Ubi S. Cassianus tantum est Patronus, de eo solummodo agitur, ea die, festum, sub ritu Duplici I. classis; de S. Hippolyto, cui ille nonnisi per accidens conjungitur, nihil fit, quum ritus ejus sit Simplex.

Die 28 Julii est festum Ss. Nazarii, Celsi, Victoris, Innocentii, ritus Semiduplicis. Ubi Ss. Nazarius et Celsus sunt Patroni, ab eis separantur Ss. Victor et Innocentius et horum festum agitur prima die libera, sub ritu Semiduplici.

Die 20 Januarii signatur festum Ss. Fabiani et Sebastiani, Martyrum, ritus Duplicis minoris. Ubi solus S. Fabianus est Patronus, disjungitur ab eo S. Sebastianus, cujus festum celebratur die prima libera, et quidem sub ritu Semiduplici tantum.

Die 1 Maji fit festum Ss. Philippi et Jacobi Apostolorum, ritu Duplici II. classis. Ubi solus S. Philippus est Patronus, transfertur festum S. Jacobi in aliam diem, et in hac quidem agitur ritu proprio, seu Duplici II. classis.

E contra, Socii Patroni minus principalis ab eo non separantur, quocumque modo sint ei con-

1) Cf. *Breviar. Rom. post tab. Occurr. n. 8.*

juncti; sed, si ritus illorum est saltem Semiduplex, coluntur simul cum Patrono minus principali, sub ritu hujus proprio; si ritus illorum est Simplex, sub hoc ritu, die eadem, coluntur, servato tamen pro Patrono ritu, qui ei, ut tali, competit.

151. Officium Patroni loci, nisi proprium præsto habeatur, expresse pro loco illo concessum, desumitur ex communi, prout ipsi convenit, non exceptis, in die festo, lectionibus I. Nocturni, quæ non debent esse de Scriptura occurrente. At infra octavam lectiones I. Nocturni dicuntur de Scriptura occurrente, vel, his deficientibus, ut v. g. in feriis Quadragesimæ, dicuntur de communi; lectiones II. et III. Nocturni erunt de communi, ad invicem alternando eas, quæ in 1. et quæ in 2. loco in Breviario occurrunt. Hæ tamen, si placet, possunt etiam excerpi ab Octavario Romano (cf. n. 10).

In die octava, lectiones I. Nocturni sunt de Scriptura occurrente, vel, his deficientibus, ut in die festo; aliæ lectiones sunt propriæ, si adsint, secus, desumuntur ex Octavario Romano, vel dicuntur ut in die festo.

CAPUT III.

De Officio Titularis Ecclesiæ.

152. Quemadmodum Patronus locis, ita Ecclesiis suus assignatur Titularis, qui est Sanctus, vel mysterium, vel res sacra, cujus nomen tribuitur determinatæ Ecclesiæ, idque ex privatorum quoque arbitrio.

Tantummodo Sanctus canonizatus, non vero Beatus, nisi ex indulto Apostolico, eligi potest in Titularem; sed insuper esse potest vel mysterium,

ceu SS. Trinitas, Spiritus Sanctus, SS. Sacramentum, vel res sacra, ceu S. Crux, S. Sudarium, etc.

Titularis semel designatus (quod in actu consecrationis, vel benedictionis Ecclesiæ solet fieri) nequit mutari sine indulto Apostolico, quo etiam ei adjungi potest, temporis decursu, alius Contitularis. Item, quamvis unus soleat eligi Titularis, possunt tamen eligi etiam plures, qui sint æque principales, aut, præter unum principalem, minus principales.

153. Titularem habere possunt Ecclesiæ aut consecratæ, aut solemniter benedictæ, unde et publica Oratoria, omnesque sacræ ædes, « quæ pro Missis celebrandis sacrisque aliis, etiam solemnioribus, functionibus peragendis ab Ordinariis locorum destinatæ, vel consecrantur, vel solemniter benedicuntur, ut publico fidelium usui libere plus minusve deserviant [1]. »

Oratoria etiam semipublica, seu quæ exsistunt in ædibus episcopalibus, Seminariis, hospitalibus, domibusque Regularium, si consecrata vel solemni ritu benedicta fuerunt, pariter gaudent Titularis jure; secus vero Oratoria privata, quum his ipsa benedictio solemnis denegetur.

154. Titularis festum agitur, sine feriatione, nisi aliunde hæc illi competat, die a S. Sede assignata, vel die sui obitus, sub ritu Duplici I. classis, cum octava. Ubi vero Titulus est SS. Salvator, pro eo festum peragitur Transfigurationis Jesu Christi (6 Augusti), et ubi Titulus est S. Maria, sine alia denominatione, vel cum denominatione particulari, de qua festum non agitur, v. g. B. Maria V. de Salute, de Refugio, etc., pro ipso celebratur festum Assumptionis B. Mariæ V. (15 Aug.)

1) S. R. C. 5 Junii 1899, n. 4025, III.

155. Officium Titularis Ecclesiæ Cathedralis persolvere tenentur, sub ritu Duplici I. classis, omnes Diœceseos Clerici ad Horas Canonicas obligati; sæculares autem cum octava, regulares sine octava.

Officium Titularis Ecclesiæ vel Oratorii particularis, persolvendum est a toto Clero, si exstiterit, vel a Sacerdote dictæ Ecclesiæ, aut publico Oratorio addicto. Illi autem ita addicti censentur alicui Ecclesiæ, ut hujus Titularis festum celebrare et Officium recitare debeant, qui, ut vidimus (n. 45), ad festum quoque celebrandum Officiumque recitandum tenentur Dedicationis propriæ Ecclesiæ. Cf. etiam dicenda Tit. seq. Cap. I.

Regulares idem præstant quoad Titularem Ecclesiæ Conventus in quo morantur, et etiam Seminaristæ quoad Titularem Ecclesiæ principalis Seminarii.

Quæ jam diximus de Sociis Patroni et de qualitate Officii istius (cf. n. 150, seq.), Titulari quoque applicantur.

Demum notare præstat festum Titularis Ecclesiæ, non secus ac festum Patroni loci, semper haberi uti *primarium*, licet, per se, inter secundaria sit recensitum. Ita v. g. festum SS. Cordis Jesu, Rosarii B. Mariæ V., Cathedræ S. Petri, etc. sunt *per se* secundaria; at primaria evadunt si ad Titularem Ecclesiæ spectant (cf. n. 38).

CAPUT IV.

De Officio ratione Reliquiæ.

156. Sanctorum Reliquiæ, ut plurimum in Ecclesiis asservantur, ut ibi publicus, qui eis debetur, cultus ipsis præstari possit. Sacra autem Liturgia

speciali prosequitur honore Sanctos illos, quorum Reliquiæ alicubi exstant, et quidem in eo loco ubi eas revera asservari contingit.

Et in primis concedit peragi, determinata die, aut Dominica, infra annum, festum omnium Reliquiarum, quæ in particularibus Ecclesiis custodiuntur. Ad hoc tamen festum peragendum requiritur pro singulis locis indultum Apostolicum, quo etiam ritus præfinitur sub quo illud est celebrandum. Idem festum primariis est accensendum, sed mobilibus, quæ sine indulto non transferuntur.

Insuper concedit ut de singulis Sanctis, ubi Reliquiæ eorum asservantur, festum peragatur, sua cujusque die, speciali ritu.

157. Attamen non qualiscumque Reliquia jus tribuit Sanctum colendi speciali hoc ritu, sed tantum quæ est *insignis*. Insignes autem censentur : corpus, caput, brachium, sive integrum, sive alterutra ejus pars et crus. Item insignes habentur: pes, cor, manus, lingua [1], dummodo aut intactæ ex miraculo conserventur, aut sint partes in quibus speciali modo Sanctus Martyr passus fuerit. Ceteræ partes minores nunquam ut insignes considerantur.

Præter hoc requiritur quod Reliquia insignis sit authentice probata et recognita, quod ad Sanctum spectet canonizatum atque in Martyrologio relatum, et quod in Ecclesia ipsa, ubi festum fit, habitualiter custodiatur.

158. His positis conditionibus, illius Sancti, cujus exstat insignis Reliquia, festum peragitur sub ritu Duplici minore, nisi ritus altior aliunde ei debea-

1) S. R. C. 27 Junii 1899, n. 4041, ad I. II. III. — Ibidem *pes* non nominatur, at non videtur de eo aliter sentiendum ac de *manu*.

tur, et quidem ea die qua ejus Officium in Calendario est assignatum, vel, si in Calendario locum non obtinet, die ejus natalitia.

Pro Sociis illius Sancti, cujus, ratione Reliquiæ, festum agitur, illud valet quod supra diximus de Sociis Patroni loci [1] (cf. n. 150).

CAPUT V.

De Officiis votivis.

159. Officia *votiva* ea sunt, quæ pluries infra annum, non ex præcepto, sed *ex voto*, seu ex voluntate et devotione, recitantur, vi Apostolicæ concessionis.

Dicimus *non ex præcepto*, saltem si spectemus concedentis voluntatem ; quædam enim, postquam ab Ordinario loci, vel a Superiore Regulari acceptata et in proprio Calendario inserta fuerunt, *debent* recitari ab omnibus, qui eodem utuntur Calendario.

160. Votiva Officia dividuntur in *particularia* et *universalia*.

Particularia conceduntur vel Ordinibus Regularium, vel Diœcesibus, vel singularibus Ecclesiis, ut v. g. Officium Stigmatum S. Francisci, quod prima cujusque mensis die a Fratribus Minoribus dicti Sancti, recitatur, vel Officium SS. Sacramenti feria V., et aliquando aliis quoque feriis non impeditis, in Ecclesiis, ubi est Ejusdem Expositio et Adoratio perpetua, etc.

Universalia illa sunt, quæ a Leone XIII. s. m. Litteris Apostolicis diei 5 Julii 1883 [2], fuerunt con-

1) S. R. C. 20 Junii 1899, n. 4037, ad III.
2) S. R. C. Decr. Urb. et Orb. 5 Julii 1883, n. 3581, ad I.

cessa Ecclesiæ universæ. Hæc autem sex numerantur et singula singulis hebdomadæ feriis sunt assignata, nempe: de Ss. Angelis, pro feria II.; de Ss. Apostolis (Romæ, de Ss. Petro et Paulo), pro feria III.; de S. Joseph, pro feria IV.; de SS. Eucharistiæ Sacramento, pro feria V.: de Passione Domini, pro feria VI.; de Immaculata B. Mariæ V. Conceptione, pro Sabbato.

161. Hæc quidem universalia Officia votiva recitantur loco Officiorum ferialium, nempe trium lectionum, ceu feriæ, et festi Simplicis.

Attamen ii qui choro adstringuntur, postquam a Capitulo, vel Communitate, accedente Episcopi consensu, illa Officia recepta fuerunt semel pro semper, *debent* omnes et singuli, etiam privatim Horas persolventes, eadem suis diebus dicere; alii autem choro non addicti *possunt* pro lubitu ipsa recitare, nisi eis placeat ferialia retinere.

Verum a die 17 ad diem 24. Decembris, item feria IV. Cinerum et toto tempore Passionis, nullis licet Officia hæc votiva ferialibus substituere.

162. Eadem hæc Officia habent ritum Semiduplicem, et rationem festi secundarii. Quare admittunt suffragia Sanctorum [1] et preces dominicales, et in concurrentia cum festis primariis ejusdem ritus, his cedunt Vesperas, commemoratione tantum sibi reservata [2]; concurrente autem Officio votivo

1) Commemoratio tamen illius, de quo dictum est Officium, in suffragiis omittitur (cf. n. 29). Hoc autem minime applicandum est commemorationi communi de Ss. Apostolis Petro et Paulo, quæ in Officio votivo de Ss. Apostolis, assignato feriæ III. non debet omitti. S. R. C. 24 Nov. 1883, n. 3597, ad VII.

2) S. R. C, 23 Aug. 1895, n. 3870.

cum alio pariter votivo, Vesperæ dimidiantur, nulla ratione habita dignitatis unius præ alio [1].

Item, in I. nocturno, extra Quadragesimam, leguntur lectiones de Scriptura occurrente; in Quadragesima, exstant propriæ. Quinimo, in Officio de SS. Eucharistiæ Sacramento, lectiones II. et III. nocturni propriæ habentur pro binis mensibus anni, et in Officio de Immaculata B. Mariæ V. Conceptione eædem lectiones propriæ sunt pro quatuor temporibus anni, scilicet pro tempore hiemali, verno, æstivo et autumnali.

Demum singula Officia admittunt commemorationes feriæ et festi Simplicis occurrentis, tum lectionem IX. ex homilia dictæ feriæ, vel ex vita Sancti, cujus commemoratio peragitur.

CAPUT VI.

De Officio pro Defunctis.

163. Antiquissimus quidem censeri debet mos fundendi preces, quibus permotus misericors Deus animas piacularibus flammis addictas cito in beatitudinem fruitionis divinæ admittat. Verum Officium peculiare pro Defunctis, prout in Breviario exstat, compositum non invenimus ante sæculum VIII. [2], et quæ remotiori, imo et Apostolicæ tribuuntur institutioni, nonnisi de aliis precibus, ac potissimum de Missæ Sacrificio, intelligi possunt [3]. Ultro tamen

1) S. R. C. 24 Nov. 1893 n. 3597, ad IV. Verum in concursu Officii votivi SS. Sacramenti, cum Officio votivo Passionis Domini, Vesperæ fiunt integræ de præcedenti, nihil de sequenti, ratione identitatis mysterii.

2) Cf. **Lapini.** *Istituz. Liturg. pag. 478, nota.*

3) Cf. *Liturgia Missæ, n. 136*

concedimus, post primam sui institutionem, Officium illud, non secus ac cetera, mutationibus obnoxium fuisse, donec, auctoribus S. Pio V. et Clemente VIII., ad hodiernam formam fuit redactum.

164. Officium Defunctorum prostat in IV. parte Breviarii, ejusque ultimum locum tenet; constat autem Vesperis, Matutino et Laudibus, unde nec Completorium, nec minores Horas habet. Insuper caret capitulis et hymnis, neque benedictiones præmittuntur lectionibus trium nocturnorum in Matutino. Antiphonæ duplicantur, vel non, prout Officium sub ritu Duplici, vel Semiduplici recitatur. Quando unum dicitur nocturnum, designatæ sunt feriæ hebdomadæ, quibus unumquodque dici debet, nempe, feriæ II. et V. pro primo nocturno; feriæ III. et VI. pro secundo; feria IV. et Sabbatum pro tertio.

165. Porro die II. Novembris, vel hac impedita prout indicavimus n. 138, die insequenti, peragitur in Ecclesia universa Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, eademque die, præter Officium occurrentis festi, recitandum quoque est ab omnibus, qui Horas canonicas persolvere tenentur, integrum Officium Defunctorum, a Vesperis, quæ pridie, juxta morem, dici debent.

Similiter, singulis mensibus, die per Rubricam specialem determinata, in choro tantum, præter Officium diei, est recitandum Officium Defunctorum, ast cum uno nocturno dumtaxat.

Insuper, in die obitus seu depositionis cadaveris cujuscumque fidelis, sicut et in diebus quasi-obitus, tertia, septima, trigesima et anniversaria, potest dici integrum Officium, vel tantum Matutinum cum Laudibus, quæ concluduntur oratione conveniente personis pro quibus Officium recitatur.

Demum, quavis die non impedita infra annum, adhuc licet Officium pro uno, vel pluribus Defunctis persolvere, sive ex dispositione testatorum, sive rogatu, vel devotione vivorum.

166. Modum quod spectat hujusmodi Officium recitandi, hæc adnotamus:

1) Ritus Duplex servatur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, necnon diebus obitus, seu depositionis, quasi-obitus, tertia, septima, trigesima, anniversaria cujuscumque Fidelis Defuncti.

Extra hos dies servatur ritus Semiduplex.

2) Tres Nocturni debent dici in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum; item die depositionis, cadavere præsente, nisi, hoc altero in casu, ob rationabilem causam, magis expediat unum dicere. Quod tanto magis valebit pro ceteris diebus [1].

3) Invitatorium est præmittendum quoties tres Nocturni recitantur et quoties Cadaver est præsens, licet unicum Nocturnum dicatur [2].

4) Laudes semper adjiciendæ sunt uni, vel tribus Nocturnis, nisi ex consuetudine omittantur.

5) Quando unicum Nocturnum obtinet, illud eligitur quod feriæ currenti respondet, at sustinetur consuetudo recitandi quavis die primum Nocturnum [3].

6) Si pro uno tantum dicatur Officium, nihil est mutandum in eo, sed omnia dicenda sunt numero plurali, exceptis versiculis qui immediate præ-

1) *Rituale Rom. Tit. VI. c. III. n. 16, et c. V. n. 1.*
2) S. R C. 9 Maji 1739, n. 2344 ad II; 31 Maji 1817, n. 2578, ad XII.
3) *Rituale Rom.* loc. cit. et S. R. C. 21 Febr. 1896, n. 3885 ad V.

cedunt et sequuntur orationem, et ipsa excepta oratione, quæ congruere debet qualitati personæ defunctæ.

Ad quæsitum : « Utrum Parochus aliique Sacerdotes exequiis mortuorum Officiisque quotidianis pro iisdem assistentes, ac pro ea functione stipendium accipientes, teneantur per se Officium Defunctorum persolvere ; ita ut solummodo assistentes, et non cantantes vel psallentes, fructus non faciant suos ? An vero sufficiat ut assistant, et Schola Officium persolvat, ipsis interea pro suo lubitu alias preces fundentibus, v. g. Breviarium recitantibus pro sua quotidiana obligatione ? » S. R. Congregatio respondit: « *Affirmative*, quoad primam partem ; *negative* quoad secundam » [1].

167. Dies excipiuntur, quibus nefas est Officium Defunctorum publice decantare. Sunt autem :

1) *Cadavere præsente*, dies quibus festa occurrunt solemniora Ecclesiæ, quæ ritu Duplici I. classis potiuntur ; item cum expositum est solemniter SS. Sacramentum, et ultimum triduum Hebdomadæ Majoris.

2) *Cadavere absente*, etiam dies quibus occurrit quodvis festum ritus Duplicis I. vel II. classis ; et dies infra octavas privilegiatas.

1) S. R. C. 9 Maji 1857, n. 3045.

TITULUS VI.

DE MODO RECITANDI OFFICIUM

CAPUT I.

De Calendario proprio.

168. Quæstionem hic attingimus prorsus aliam ab ea, quam instituimus loquentes de Calendario Ecclesiastico (Tit. III. Cap. V.); ibi enim de Calendario sive universali, sive proprio conficiendo et edendo actum est. Hic vero inquiritur de usu Calendarii proprii, seu de obligatione huic sese conformandi in recitando divino Officio, ut Ecclesiæ præceptum impleatur.

169. In primis distinguimus inter diversos Clericos, qui ad Horas canonicas recitandas tenentur. Ex iis enim alii sunt adscripti choro; alii sunt stricte adscripti alicui Ecclesiæ; alii neque choro, neque ulli Ecclesiæ adscripti sunt; alii demum ad quempiam Ordinem religiosum pertinent.

Habentur tamquam adscripti choro Canonici præbendati, beneficiati, aliique omnes, qui ad Officium chori obligantur. Hi autem debent Officium quotidie recitare ut in choro dicitur, etiamsi contingat eos privatim illud persolvere.

Habentur tamquam stricte adscripti alicui Ecclesiæ Clerici illi, qui ab auctoritate legitima ita Ecclesiæ addicuntur, ut in ea *ex officio* deserviant,

sive principaliter, ut parochi, sive dependenter, ut vice-parochi et coadjutores [1]. Item, relate ad Ecclesiam Seminarii, hujus alumni et professores ibi commorantes, quamvis isti alibi Missam celebrent et munia sacra peragant [2] (cf. n. 29). Hi autem omnes uti debent Calendario diœcesano, et insuper Officia dicere, quæ particularis Ecclesiæ sunt propria, v. g. Titularis, Sancti habentis insignem Reliquiam, etc.

Ceteri Clerici, neque choro, neque alicui Ecclesiæ, modo supra indicato, adscripti, Calendarium tantum diœcesanum sequi tenentur, nullis adjectis Officiis Ecclesiæ particularis propriis.

170. Religiosi, quibus peculiare Calendarium non fuit indultum, sequi debent Calendarium Diœcesis in qua degunt, non secus ac Clerici sæculares loci, exceptis tamen Officiis, quæ Clero sæculari tantum fuerunt indulta. Illi vero qui proprium Ca-

1) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2872, ad I.; 11 Aug. 1877, n. 3431, P. I. ad IV; Decr. Gener. 5 Junii 1899, n. 4025, IV. — Hodie tamen, novissimis inspectis legibus, et per hæc antiquioribus excussis et explicatis, deducendum videtur omnes illos Clericos alicui Ecclesiæ ita adscriptos haberi, ut hujus particularia Officia persolvere teneantur, qui a suo Episcopo servitio dictæ Ecclesiæ deputantur, adeo ut ipsi nequeant sua voluntate locum deserere, sed ibidem sacra munia, v. g. Missam celebrare, Confessiones audire, etc., expleant, vi adscriptionis a Superiore factæ. Et hoc maxime ex eo probatur, quod, quum iidem Clerici teneantur quotidie Missam celebrare juxta Calendarium Ecclesiæ in qua celebrant, et quidem non *per accidens*, ut advenæ cuilibet contingit, sed *per se*, illi enim Ecclesiæ sunt ipsi addicti, ideo consentaneum videtur eos teneri quoque recitationi Officiorum, quæ in eodem Calendario inveniuntur. — Cf. *Ephem. Liturg. an. 1904, pag. 339 seqq.*; sed contra Card. **Gennari** *Consultaz. Can. Can. Mor. Lit. Vol. II. P. III. Cons. XLII.*

2) S. R. C. 27 Febr. 1847, n. 2939, ad III.; 7 Sept. 1850, n. 2980, ad I et II.; 28 Sept. 1872, n. 3279, ad I et II.

lendarium habent, eo uti tenentur, quamvis Ecclesiis particularibus inserviant, vel tamquam parochi præficiantur, quo in casu addere debent Officium Titularis suæ respectivæ Ecclesiæ.

Sed insuper omnes Religiosi omittere nequeunt festa Patroni principalis Civitatis, vel Diœceseos; Titularis Ecclesiæ Cathedralis; Dedicationis ejusdem Cathedralis, sed hoc in Civitate tantum; et festa de præcepto, quæ ab omnibus servari jusserit Episcopus [1]. Imo, in his festis agendis, Officia propria, si quæ concessa fuerunt Clero sæculari loci, etiam a Regularibus recte usurpantur.

171. Hæc quidem valent quousque Clerici, de quibus agimus, in sua versantur Diœcesi; sed aliter est dicendum quando ab hac discedunt.

Triplici autem modo contingere potest quempiam a propria Diœcesi discedere, scilicet 1. ita ut in Diœcesi aliena domicilium suum constituat, aut cum animo domicilium constituendi illuc se conferat; 2. ita ut in Diœcesi aliena per tempus aliquod moretur, cum animo tamen ad suam Diœcesim redeundi; 3. ita ut versetur per aliquot tantum dies, vel peregre agat.

Porro, in primo casu, quis evadit subditus loci in quo consistere perpetuo decernit; quare loci ejusdem Calendarium sequi tenetur.

In secundo casu, qui choro in sua Diœcesi sunt et manent adscripti, hujus Calendario uti debent; ceteri vero possunt, pro lubitu, se conformare vel Calendario loci ubi sunt, vel Calendario propriæ Diœceseos.

In tertio casu, omnes debent suum Calendarium sequi.

1) Cf. *Conc. Trid. Sess. XXV c. XII. de Re.ug*

Verumtamen Clerici sæculares, qui in domibus Religiosorum degunt, v. g. servitii causa, vel ut vacent exercitiis spiritualibus, non possunt horum Officia, ne quidem si in communi recitentur, persolvere, nisi præsto sit Indultum, quo nonnulla instituta gaudent [1]. Item Regulares, qui a proprio monasterio discedunt, sequi debent Officium illius cœnobii in quo actu morantur; et qui prædicationis causa, tempore Quadragesimæ, in aliqua degunt Parœcia, debent uti Calendario illius Provinciæ, in cujus ambitu consistunt [2].

172. Nemini licet, sine rationabili causa, Officium aliquod prætermittere, qua die hoc assignatur, et hujus loco aliud diversum recitare; imo si illud, quod quis recitat, est notabiliter brevius quam illud, quod recitare debuisset, ne quidem oneri suo satisfacit. Num sit grave commutare Officium occurrens in aliud plane diversum, at non brevius, dubitari potest, et siquidem raro id fiat, negandum est. Verum omni, vel levi, caret culpa, qui Officium mutat inconsulto, scilicet ex errore, aut oblivione, vel ex rationabili causa, ut puta, si præsto non habet partem Breviarii in qua Officium occurrens continetur, vel si cum socio recitat, qui diversum legit Officium [3], etc. Errore autem detecto, vel causa

1) Cf. S. R. C. 28 Aug. 1846, n. 2917; 21 Maji 1897, n. 3955.

2) S. R. C. 31 Aug. 1839, n. 2801, ad I. et II. Verum, qui brevioris temporis moram faciunt in cœnobio non suo, si privatim Officium recitant, servare debent Calendarium cœnobii a quo discesserunt. S. R. C. 27 Junii 1896, n. 3919, ad XIII.

3) Attamen, propositæ quæstioni « An satisfaciat obligationi suæ Clericus in Ordinibus sacris constitutus, qui sponte, vel invitatus se adjungit Clero, Officium ab Officio ipsius Clerici diversum canenti, vel recitanti? » S. R. Congr. respondit: « *Generaliter Negative* ». S. R. C. 27 Jan. 1899,

rationabili cessante, postquam Officium aliud fuit inchoatum, datur libertas vel idem prosequendi, vel reliqua ex Officio occurrente sumendi. Et die adveniente, qua in Calendario assignatur Officium, quod aliâs, quacumque ex causa, fuit jam recitatum, hoc idem repetere oportet. Ita communiter Moralistæ, qui fusius hanc rem pertractant.

CAPUT II.

De tempore quo Officium est recitandum.

173. Nulla est, infra annum, dies, qua Clerici, qui ad Horas canonicas obligantur, sint ab hac lege soluti. E contra, die 2 Novembris, vel sequenti, qua fit Commemoratio omnium fidelium Defunctorum, omnes et singuli debent, sive in choro, sive privatim, præter Officium occurrens, recitare quoque integrum Defunctorum Officium, seu Vesperas et Matutinum cum Laudibus.

Obligatio autem recitandi Officium, pro illis, qui ad hoc tenentur propter acceptum Beneficium ecclesiasticum, incipit ab ipsa die, qua Beneficii ejusdem possessionem sunt adepti ; pro illis, qui obligantur vi aut solemnis Professionis religiosæ, aut

n. 4011, ad III. « Nempe non satisfacit quando Officium non continetur in Breviario Romano, sed est particulare approbatum pro Diœcesi socii, minime vero pro Diœcesi recitantis ». Ita **Busquet**, *Thesaurus Confessarii L. IV. n. 34* (edit. III). Expresse vero eadem S. R. Congregatio declaravit Clericos, qui in choro Vesperas solemnitatis translatæ cantaverunt, teneri ad recitandas privatim Vesperas de festo in Calendario occurrente, « quoniam Vesperæ solemnitatis translatæ, solummodo devotionis gratia, recitandæ permittuntur ». Ita S. R. C 18 Maji 1878, n. 3450, Cf. etiam 7 Aug. 1875, n. 3365, ad X.

sacri Ordinis, decurrit ab hora diei, qua vel vota emiserunt, vel Ordinem sacrum susceperunt [1], ita ut ipsi non teneantur partem illam Officii recitare, quæ horis præcedentibus respondet [2].

174. Horas quod spectat, scimus olim plane diversum fuisse morem distribuendi per noctem, vel diem divini Officii partes. Veteres enim, tam diem, quam noctem, in duodecim horas dividebant, quæ inter se æquales erant, in se autem inæquales, idest longiores, vel breviores, prout varia erat, pro temporum diversitate, dierum et noctium mensura. Sed insuper, denuo diem et noctem dividebant in quatuor partes, quarum singulæ continebant tres e supradictis duodecim horis. Patet has quoque partes æquales inter se, inæquales in se exstitisse, prout longiores, vel breviores exstabant horæ ab ipsis contentæ.

Quatuor noctis partes nuncupabant *vigilias* [3], et quidem primam ex his, quæ ab occasu solis protendebatur ad horam tertiam, vocabant *conticinium* (a *conticescere*), quia tunc omnia tacent; alte-

1) Episcopus, in sacra Ordinatione imponit Subdiaconis et Diaconis a se promotis onus recitandi *nocturnum talis diei* (Pontific. Rom.) Declaratum fuit pro *nocturno talis diei* intelligi nocturnum feriale, vel primum festi, aut Dominicæ in Psalterio, prout Ordinatio in feria, festo aut Dominica habita sit, cum respectivis antiphonis tantum, omisso Ps. *Venite exultemus*, necnon omissis hymno et lectionibus. S. R. C. 27 Junii 1899, n. 4042, ad I; 10 Julii 1903.

2) Probabile est satisfieri obligationi illius diei recitando totum Officium ante Ordinationem.

3) Vigiliæ a *vigilando* dicuntur, ex more militum qui, statis horis, excubias agentes, castra custodiunt et ab hostium incursibus defendunt; pari autem ratione Clerici, continuo orantes, teterrimum animarum hostem a se et a populo suæ curæ commisso, propulsant, juxta monitum S. Petri, I. Epist. V. 8.

ram, quæ decurrebat ab hora tertia ad sextam, appellabant *intempestum*, quia pars minus operando apta, ob densas tenebras; tertiam dicebant *gallicinium*, ob cantum galli, et ab hora sexta ad nonam extendebatur; quartam nuncupabant *antelucanum*, quia antecedebat primam lucem, ejusque cursus erat ab hora nona, usque ad duodecimam, seu usque ad ortum solis.

175. Porro singulis noctis partibus erat assignata pars Officii recitanda, ita ut primum nocturnum Matutini recitaretur in prima vigilia; alterum in secunda; tertium in tertia; Laudes in quarta. Quando vero unicum obtinebat nocturnum, ut in feriis, illud recitabatur in tertia vigilia.

Serius tamen, mos alius inductus est, ut nempe tres nocturni non quidem seorsim, sed conjunctim recitarentur, et quidem una cum Laudibus; ex quo ratio deducitur vocis *Matutinum*, qua totum nocturnum Officium modo designatur (cf. n. 15, nota 2).

Pari ratione Officium quoque diurnum distributum novimus per diversas diei partes, ita ut harum singulis responderent Horæ minores Tertia, Sexta et Nona, atque Vesperæ; Prima enim et Completorium serius tantum inseri in Officio cœperunt [1].

Quare *Tertia* ex eo vocatur, quod olim recitari consueverat in prima parte diei, quæ in hora tertia desinebat; et ita vocantur aliæ duæ Horæ, *Sexta* et *Nona*, quia recitabantur in altera et in tertia diei parte, quæ respective finem habebant in sexta et nona hora. Vesperæ, quæ in hora duo-

1) *Constitutiones Apostolicæ L. VII. C. XXXIV.* sex Horas diurnas commemorant hisce verbis: « Precationes facite mane, tertia, sexta, nona hora, vespere et in gallicantu. » Horæ *Primæ* vestigium nullum est ante sæculum V., et Completorii institutor fuisse videtur S. Benedictus, ante medium sæc. VI.

decima solvebantur, seu labente die, a sidere quod *Vesper* vocatur, et sole occidente apparet, nomen mutuantur [1]. Habebantur Vesperæ eædem tamquam initium Officii nocturni, et hinc forte ratio deducitur incipiendi diem liturgicum a Vesperis.

176. Inde vero etiam quoad alias Officii divini partes factum est ut non amplius, ceu olim usus erat, indicatis horis absolverentur. Quum enim, ut animadvertit Benedictus XIV. [2], regula statuta fuerit, in choro servanda, celebrandi, saltem jejuniorum diebus, Missam Conventualem post absolutam Officii Horam Nonam, hinc mos fuit inductus Sextam et Nonam recitandi ante meridiem, quacumque die, et consequenter ad horam, quæ Nonæ assignata olim erat, trahendi Vesperas et ad horam Vesperarum trahendi Completorium.

Demum, Quadragesimali tempore, et præcise a Vesperis quæ dicuntur in Sabbato ante Dominicam I. Quadragesimæ, etiam Vesperæ absolvuntur ante meridiem. Nam olim nefas erat jejunium Quadragesimale, nisi post Vesperas, seu prope solis occasum, solvere. Quum autem, progressu temporis, consuetudo invaluerit refectionem sumendi meridie, ideo, ad vestigium servandum antiquæ disciplinæ, statutum est ut Vesperæ ante meridianam refectionem recitarentur. At quoniam Dominicis diebus jejunium minime est servandus, ideo in his nulla fit Vesperarum anticipatio.

177. Hodierna igitur disciplina, horas quod spectat, recitandi diversas Officii partes, hæc est:

1. *In choro*: Matutinum dicendum est simul cum Laudibus, *regulariter*, vel noctu, vel mane. Dicimus

1) Hora Vesperarum vocabatur etiam *lucernarium*, quia, tenebris jam incumbentibus, lumina accendebantur.

2) **Benedictus XIV**. *Instit. CVII. §. 4.*

regulariter, quia recitatio tum Matutini, tum Laudum, *de jure* fit pridie in ultimo triduo Majoris Hebdomadæ, et permittitur, pro commodo populi, in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum [1]; *ex indulto*, anticipatio hujusmodi conceditur in quibusdam anni festis, ut fideles assistentes Indulgentias lucrari queant, ut v. g. in festo et per octavam SS. Corporis Christi, in festo SS. Cordis Jesu, etc.

Verum Laudes a Matutino sejungi non debent, si Officium excipias Nativitatis Domini, in quo Matutinum dicitur ante Missam mediæ noctis, quæ ex tribus prima est, et Laudes post Missam eamdem recitantur.

Horæ minores Prima et Tertia dicuntur *regulariter* ante Missam Conventualem; Sexta et Nona, post eam, sed omnes ante meridiem. Dicimus hic quoque *regulariter*, quia aliquando, v. g. in Adventu, Quadragesima, vigiliis cum jejunio, etc. Missa Conventualis de tempore celebratur post Nonam.

Vesperæ dicuntur post meridiem; sed Quadragesimali tempore, a Sabbato quod præcedit Dominicam I., ante meridiem persolvi debent, exceptis tamen Dominicis (cf. n. 176).

Completorium dici potest immediate post Vesperas, nunquam vero ante meridiem.

Episcopi et Prælati nequeunt ordinem statutum in recitandis Horis canonicis mutare, nisi ex juxta causa, et quidem in casu aliquo particulari, non vero in perpetuum, vel per longum tempus. At, ex consuetudine longe probata, potest fieri ut ordo ille intervertatur, quod revera jam contigit quoad Matutinum, quod nunc, saltem a Clericis sæcularibus, non amplius noctu, sed mane persolvitur.

1) *Cæremon. Episcop. L. II. c. X.*

2. *Extra chorum*: Matutinum et Laudes recitari præscribunt Rubricæ ante Missæ celebrationem [1]. At ex recepta nunc consuetudine, datur cuique facultas persolvendi hanc Officii partem pridie, quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum [2].

Horæ minores Prima et Tertia persolvuntur a summo mane ad meridiem, Sexta et Nona vel mane, vel post meridiem.

Vesperæ et Completorium recitantur a meridie ad mediam noctem; at Quadragesimali tempore, a primo Sabbato, extra dies Dominicos, Vesperæ tantum congruenter dicuntur ante meridiem.

178. Nihilominus quæcumque rationabilis causa, ut, v. g. major devotio, quies, studium, societas, etc., quamlibet ordinis et temporis mutationem certo permittit.

Item certum est posse, in privata recitatione, separari Laudes a Matutino, etiam sine causa, imo et nocturnos Matutini a se invicem, non tamen, quoad hos, ultra spatium trium horarum; verum, ex quavis honesta causa hoc spatium protrahi potest et quæcumque alia separatio singularum partium Officii licita evadit.

1) Cf. *Missale Rom. Ritus serv. in celebr. Missæ. Tit. I. n. 1.*
2) S. R. C. 16 Martii 1876, n. 3391. Sententia quæ tenet licere, *ex rationabili causa*, Matutinum cum Laudibus, quocumque anni tempore, recitare hora II. diei antecedentis, qua dies ecclesiasticus initium habet, est vere probabilis.

CAPUT III.

De ipsa recitatione Officii.

179. Officium recitatur vel in choro, vel extra chorum. Recitatur in choro ab illis, qui huic obligantur, ceu Canonici et Præbendati in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis, et Regulares utriusque sexus, quibus, ex regula propria, talis obligatio incumbit. Præceptum tamen chori grave est pro omnibus simul sumptis, non pro singulis sumptis seorsim, nisi et hi sæpe absint. Quare Episcopi et Prælati invigilare tenentur ut Officium a Canonicis, vel a suis subditis in choro persolvatur.

180. Item, in choro Officium debet aut cantari, aut saltem elata voce perlegi, observatis quoque cæremoniis a Rubricis indicatis, videlicet standi, sedendi, genuflectendi, etc.; hæ quippe Rubricæ, quando agitur de chorali officiatura, generatim, non aut mere directivæ sunt habendæ [1].

Quas autem particulas v. g. unum vel alterum verbum, aut versiculum, quis omiserit, dum erat aliis intentus, ceu in organis pulsandis, thure adolendo, etc., ipse non tenetur supplere, quia chorus, quocum unum efformat, optime supplet. At qui submisse suam partem recitat, alteram partem audiendo, etsi Officio satisfaciat, non tamen satisfacit servitio chori, et fructus, quos percipere deberet, non facit suos [2].

181. Extra chorum, Officium recitare quisque potest vel solus, vel cum socio, quamvis hic nullam Officii persolvendi obligationem habeat. Si cum pluribus sociis recitat, alternis, non pluribus vicibus,

1) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, ad XLI. et n. 2687, ad I.
2) S. R. C. 22 Maji 1841, n. 2828.

dicere debet omnia, præter lectiones, quæ omnes ab uno tantum, vel singulæ a singulis perlegi possunt, dummodo ab aliis aure percipiantur, quantum possibile est, ea quæ leguntur.

Recitationem privatam Officii non respiciunt Rubricæ quæ cæremonias determinant (cf. n. 7), quare indifferens est quod illa fiat stando, sedendo, deambulando, equitando, etc., dummodo corporis compositio talis sit, quæ omnino deceat tam sanctam actionem, angelico munere dignam.

182. Sive in choro, sive extra chorum Officium recitetur, requiritur *intentio* recitandi, saltem virtualis, secus obligationi non satisfit; requiritur etiam *attentio* saltem *externa*, quæ nempe alias removet actiones cum recitatione Officii incompossibiles; *interna* autem attentio, qua mens attendit vel ad verba, ut hæc rite proferantur, vel ad sensum verborum, vel ad Deum ipsum, requiritur ad peccatum distractionis voluntariæ vitandum; num ad satisfaciendum obligationi, certo asseri nequit, unde nullus tenetur, propter hoc, iterare recitationem, nec restituere fructus forte perceptos.

183. Ante totum Officium, ab omnibus solet dici oratio *Aperi, Domine*, etc. et ante singulas Horas, quæ seorsim dicuntur, alia oratio *Domine in unione*, etc.

Item singulis Horis præmittitur *Pater* et *Ave*, atque Matutino et Primæ etiam *Credo*.

Singulæ Horæ, sive seorsim, sive continuo dicantur, concluduntur versiculis *Dominus vobiscum*, etc. *Benedicamus Domino*, etc. *Fidelium animæ*, etc. cum *Pater*, exceptis Vesperis, et cum *Credo* post Completorium tantum.

Quamvis Matutinum et Laudes simul efforment unicam Horam, si tamen, ut fas est in recitatione

privata et aliquando in chorali, disjungantur, Matutinum concluditur oratione Officio assignata, additis versiculis et *Pater*, prout fit post alias Horas (cf. n. 24), sed inde Laudes inchoandæ sunt ut in *Psalterio*, scilicet omissis *Pater*, et *Ave* [1]. Si vero etiam nocturni Matutini, ad invicem separantur, non sunt singuli concludendi oratione propria Officii, cum aliis versiculis, neque in principio alterius nocturni dicuntur *Pater* et *Ave*.

184. Aliquando in Officio, ut in Completorio, dicendum est *Confiteor* et *Misereatur*. Porro, quando hæc dicuntur in choro, bis recitantur, seu tum ab Hebdomadario, tum a choralibus, facta, juxta casum, mutatione verborum : *vobis fratres*, *vos fratres* et *tibi Pater*, *te pater*, item : *Misereatur vestri* et *Misereatur tui*. Quando recitatio fit extra chorum, ab uno tantum, priora verba omittuntur, et alia mutantur, dicendo : *Misereatur nostri*.

Quæsitum autem fuit : « Quum duo vel plures Officium divinum privatim recitant, debent ne ad *Confiteor* omittere verba illa *vobis fratres* et *vos fratres* : *misereatur tui* et *misereatur vestri*, sicut quando unus tantum illud recitat ? » S. R. Congregatio respondit: « Possunt, sed non debent [2] ».

185. Officium absolvitur antiphona finali, quæ quadruplex est, scilicet ;

1° *Alma Redemptoris Mater*, quæ dicitur a primis Vesperis Dominicæ I. Adventus ad Vesperas, inclusive, diei 2 Februarii ;

2° *Ave Regina cælorum*, quæ recitatur a Completorio diei 2 Februarii ad Completorium, inclusive, feriæ IV. Hebdomadæ Majoris ;

1) S. R. C. 18 Maij 1883, n. 3574, ad II.
2) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, ad XXXIX.

3° *Regina cœli*, quæ obtinet a Completorio Sabbati Sancti ad Nonam, inclusive, Sabbati post Pentecosten.

4° *Salve Regina*, quæ reliquo anni tempore perlegitur.

Jamvero, *in choro*, semper dicitur antiphona finalis, quæ tempori respondet, post quamlibet Horam, si, hac persoluta, a choro disceditur. *Extra chorum*, eadem antiphona finalis recitatur in fine Completorii, et post Laudes, si tunc Officium interrumpitur, vel post Horam, aut Horas quæ Laudibus continuo adjiciuntur.

186. Post integrum Officium recitatur oratio *Sacrosanctæ*, qua Leo X. P. M. defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit.

Ad hoc tamen requiritur quod ab omnibus indistincte eadem oratio dicatur flexis genibus, exceptis iis tantum, qui infirmitatis causa sunt impediti [1]. Item requiritur ut *Pater* et *Ave* addantur.

Nihil autem prohibet quominus post quamlibet Horam, quæ separatim persolvitur, prædicta oratio dicatur, quo casu pro defectibus indulgendis in eadem Hora commissis, ipsa valebit; imo Leo X. hoc modo concesserat ab initio hanc indulgentiam, et nonnisi serius ita extendit gratiam, ut oratio semel dicta valeret pro omnibus Horis etiam disjunctim persolutis.

187. Opportunum censemus liturgicas regulas hic exponere, quæ cantum atque organi et instrumentorum usum moderantur, in divinis Officiis publice peragendis.

Porro regulæ, quæ nunc vigent, inveniuntur in

1) S. C. Indulg. 26 Jul. 1855, n. 368.

Instructione de musica sacra, quam Pius X. P. M. edi jussit et servari ubique locorum mandavit *Motu proprio* diei 22 Novembris 1903. Hujus Instructionis hic ea tantum, quæ ad Officii divini decantationem spectant summatim exhibemus, collatis quoque aliis documentis in eadem Instructione citatis.

1. Cantus, qui magis sacræ Liturgiæ convenit, ille est qui *planus*, seu *firmus* dicitur, atque a suo restauratore Gregorio Magno P. M. nomen recepit. Hic in divinis Officiis est retinendus, et, ubi opus est, feliciter restituendus.

2. Cantus, quem *figuratum* dicunt, minime reprobatur, dummodo quidquid profanum sapit ab ipso excludatur.

3. Licet musicam organo moderari, et etiam, cum venia tamen Ordinarii, aliis musicis instrumentis, quibusdam minus usitatis exclusis, dummodo eorum sonitus cantum adjuvet, non vero opprimat.

4. Nonnisi latino sermone omnes Officii partes sunt canendæ, neque alii cantus vulgari eloquio sunt intermiscendi.

5. Textus prout a sacra Liturgia proponuntur sunt apprime servandi, neque fas est illorum ordinem intervertere, eosque leviter etiam mutare, vel ex integro, aut ex parte tantum omittere. Usus igitur canendi in Vesperis solemnibus unum alterumve psalmum, ceteris omissis, reprobatur prorsus.

6. Ad præscriptum Cæremonialis Episcoporum, ea norma communiter est servanda, ut in psalmodia Vesperarum cantus Gregorianus debeat adhiberi, in versiculis autem doxologiæ *Gloria Patri* et in hymno musica figurata usurpari possit. Verum conceditur usus concentuum qui *falsobordoni* vulgo nuncupantur, et interdum ut omnes psalmi in so-

lemnioribus diebus ex integro musice proponantur, servata tamen propria psalmodiæ forma, et exceptis antiphonis, quæ generatim gregoriano ritu proponi debent.

7. Juxta Cæremoniale Episcoporum « quandocumque per organum figuratur aliquid cantari, seu responderi alternatim versiculis hymnorum, aut canticorum, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuntiatur id, quod ab organo respondendum est. Et laudabile esset, ut aliquis cantor conjunctim cum organo voce clara idem cantaret [1]. »

8. Attamen regulare est ut primus versus canticorum primus et ultimus versus hymnorum, vel ille in quo est genuflectendum et *Gloria Patri* in fine canticorum, cantentur a choro, non autem ab organo, idque etiamsi versus immediate præcedens fuerit a choro pariter decantatus [2].

9. Organum silere debet in Officiis de Tempore Adventus, (excepta Dominica III.), Quadragesimæ (excepta Dominica IV.), Quatuor Temporum (exceptis illis quæ occurrunt infra octavam Pentecostes), necnon in Officio Defunctorum.

CAPUT ·IV.

De obligatione recitandi Officium.

188. Officium divinum recitare tenentur: 1. Omnes Clerici in Sacris Ordinibus constituti, etiam suspensi, excommunicati, etc.; 2. Beneficiati, qui

1) *Cæremon. Episcop. L. I. c. XXVIII. n.* 7. Cf. S. R. C. Decr. Gener. 22 Maji 1894, n. 3827.
2) *Cæremon. Episcop. L. I. c. XXVIII. n. 6.*

sunt in possessione Beneficii; 3. Religiosi solemniter professi utriusque sexus, ad chorum deputati, etiam fugitivi, apostatæ, etc.

Quo momento incipiat pro singulis hæc obligatio, jam vidimus n. 173.

189. Obligatio recitandi quotidie Officium divinum est gravis ex genere suo, et talis est nedum pro Officio integro, sed etiam pro parte quæ, quantitate, æquivalet Horæ minori. Unde grave est omittere quamlibet integram Horam, vel unum nocturnum Matutini, vel novem lectiones cum suis responsoriis; est leve omittere unum psalmum, vel *Pater*, *Ave* et *Credo*, vel tres tantum lectiones, etc.

Etiam Officium Defunctorum, in generali horum Commemoratione, est sub gravi recitandum; e contra, non certo constat de gravi obligatione dicendi Litanias diebus S. Marci et Rogationum, licet hæ, si dicuntur, sua die tantum, non vero pridie, recitari debeant.

Oratio præambula *Aperi, Domine* et alia *Sacrosanctæ*, quæ Officio absoluto recitari solet, nulla obligatione proponuntur; at nonnisi desidiem minime probandam ille ostenderet, qui, ulla sine causa, eas præteriret, et quoad alteram orationem, se ipse privaret indulgentia, quam, ut vidimus (n. 186) Leo X. P. M. illi adnexuit.

190. Porro ille, qui ratione Beneficii Officium divinum persolvere tenetur, « si post sex menses ab obtento Beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus non faciat suos pro rata omissionis recitationis Officii et temporis, sed eos, tamquam injuste perceptos, in fabricam Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter perman-

serit, legitima monitione præcedente, Beneficio ipso privetur [1] ». Particula autem *pro rata* ita intelligenda est, nimirum « ut qui Horas canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii, seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur : qui vero Matutinum tantum, dimidiam, qui ceteras omnes Horas aliam dimidiam ; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei omittat [2]. »

Hæc autem restituendi obligatio urget ante sententiam declaratoriam [3].

191. Obligatio recitandi Officium cessat triplici de causa, nimirum : 1° *ob impotentiam physicam*, 2° *ob impotentiam moralem*, 3° *ob legitimam dispensationem*.

Jamvero : ex 1°, non obligantur ii, quibus impossibile est Officium persolvere, v. g. ob morbum gravem, ob cæcitatem, ob carentiam Breviarii, saltem quoad partes quas nec memoriter recitare sciunt ; ex 2°, non obligantur ii, quibus grave est Officium dicere, v. g. quia occupantur aliis, quæ sine gravi damno proprio vel alieno, aut sine scandalo, præterire non possunt ; ex 3°, non obligantur ii, qui dispensationem obtinuerunt vel a R. Pontefice, qui dispensare potest absolute et etiam sine causa, vel ab Episcopo, aut Superiore Regulari, qui possunt dispensare ex justa causa, in casibus particularibus et ad breve tempus. Indultum autem quod a S. Sede dari solet hac in re, consistit in commutatione Officii divini in integrum Rosarium B. Mariæ V. cum Litaniis Lauretanis, firma manente obligatione recitandi quotidie Completorium, addito psalmo *De profundis* pro Defunctis.

1) *Conc. Lateran. Const. « Supernæ dispositionis ».*
2) **Pius V.** *Const. « Ex proximo ».*
3) Cf. Prop. 20 damnata ab Alexandro VII. die 24 Sept. 1665.

APPENDIX.

De Martyrologio Romano

192. Quemadmodum liber ille, qui *Cæremoniale Episcoporum* inscribitur, tamquam complementum habetur Missalis Romani, quum ad hujus Rubricas explicandas Liturgistæ sæpe ad illum recursum faciant, ita tamquam complementum et veluti appendix Breviarii Romani liber ille habetur, qui *Martyrologium Romanum* vocatur, et de quo aliquid hic innuimus.

193. Jam penes ipsos Paganos mos erat heroum suorum nomina in fastis inscribere, ne rerum gestarum, quæ illos claros reddiderunt, memoria facile periret.

Hunc morem secuta est Ecclesia, quæ, a primis jam sæculis, per publicos notarios a se delectos, suorum Martyrum acta scriptis consignabat, eorumque nomina in sacris describebat diptychis, ut sæpe in divinis Officiis publice legerentur.

Hinc ortum habuit ille catalogus, seu elenchus Ss. Martyrum, cui nomen est *Martyrologium*, quamvis, temporis decursu, etiam aliorum Sanctorum, qui martyrio minime occubuerunt, nomina inscripta in eo fuerint.

In hoc igitur libro Sanctorum canonizatorum, non autem Beatorum, nomina leguntur, addito, ut plurimum, brevi in uniuscujusque laudem elogio, et ita disposita, ut singulorum Sanctorum memoria suis per annum propriis festis diebus recenseatur.

194. Porro Martyrologia plura jam a sæculo IV. in Oriente extitisse compertum est, et in Occidente tamquam primum censetur illud, quod *Hieronymianum* appellarunt, quia S. Hieronymo, licet falso, tamquam suo auctori, tribuebatur, et hoc quidem Romana Ecclesia usa est.

Sed usque ad sæculum XVI. alia plura prodierunt Martyrologia, opera præsertim S. Bedæ Venerabilis, Rabani Archiepiscopi Viennensis, et potissimum Usuardi monachi S. Germani apud Parisios.

Quum autem in illis conficiendis plures irrepserint errores, mens fuit Gregorii XIII. P. M., cujus opera calendarii nova correctio induta fuit (cf. n. 91), Martyrologium quoque emendandi. In hac emendatione præstitit perillustris Card. Baronius, qui codici Usuardi maxime inhærens, novum exhibuit Martyrologium correctum et auctum, quod *Martyrologium Romanum* fuit inscriptum et a Gregorio XIII. per Constitutionem « *Emendato* » diei 14 Januarii 1584, editum, cum præcepto illud exclusive adhibendi pro usu liturgico in toto orbe.

Aucto inde Sanctorum numero, novisque detectis historicis monumentis, opus fuit inducere mutationes et correctiones in Martyrologio Romano; quare novæ prodierunt ejusdem codicis editiones, quæ recognitæ, vel etiam auctæ et emendatæ fuerunt a Romanis Pontificibus Urbano VIII., Clemente X., Benedicto XIV., Pio IX., et novissime, seu anno 1902, a Leone XIII.

195. Nullum igitur dubium hunc quoque liturgicum librum Pontificia auctoritate pollere, ex quo fit, non sine piaculo, idipsum mutari privatorum arbitrio posse, et regulas, quæ ejus usum moderantur, adamussim esse servandas.

Porro hæ sunt regulæ, ad quas exigendus est ritus legendi Martyrologium :

I.° Lectio Martyrologii præcipitur quotidie, excepto triduo ante Pascha, in Officio chorali ; in recitatione privata consulitur tantum.

II.° Martyrologium legitur, et in choro cantatur in tono lectionum Matutini, ad Primam, ante versum *Pretiosa*, nulla præmissa benedictione.

III.° Legitur semper die præcedenti ea pars, quæ continet memoriam Sanctorum diei insequentis.

IV.° Antequam legantur nomina Sanctorum in ipso Martyrologio descripta, nomina enuntiantur, sive Sanctorum, sive etiam Beatorum, quorum, in particulari Ecclesia, festum ea die peragitur. Quod si alicujus Sancti Officium translatum fuerit, sive perpetuo, sive per accidens, ejus recordatio fit tum sua die propria, tum die in quam fuit translatum, mentione facta hujus translationis.

V.° Pariter nuntiantur festa mobilia, dies octavæ, vigiliæ, Dominicæ Septuagesimæ et Palmarum, feriæ IV. Cinerum et V. in Cœna Domini, ac demum Officia votiva.

VI.° Unaquæque lectio concluditur his verbis : *Et alibi aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum, et Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

VII.° Ante quamcumque lectionem indicantur Kalendæ, Nonæ vel Idus, et quantitas Lunæ, quæ quantitas, in tabulis præfixis singulorum dierum lectionibus, indicatur numero signato sub littera Martyrologii propria illius anni.

A. M. D. G.

INDEX GENERALIS

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM

QUÆ IN INDICE GENERALI NON EXPRIMUNTUR

Indicantur numeri marginales et signo () notæ

A. M. D. G.

2


IN

MISSALE ROMANUM

Sac. Doct. ÆMILIUS FERRAIS


LITURGIA
MISSÆ

JUXTA NOVISSIMA S. SEDIS DECRETA



VERONÆ
Sumptibus **FELICIS CINQUETTI**
Bibliopolæ Editoris Pontificii
MCMIII

Ex Tip. Ep. G. Marchiori



BARTHOLOMÆUS

TITULO S. BARTHOLOMÆI IN INSULA

S. R. E. Presbyter Cardinalis BACILIERI

Dei et Sanctæ Apostolicæ Sedis Gratia

Episcopus Veronensis

....

Cum opus inscriptum **LITURGIA MISSÆ** a dilecto filio Nostro Sac. ÆMILIO FERRAIS, in Episcopali hoc Seminario Juris Canonici et Sacræ Liturgiæ Professore, nuper concinnatum et perspicua rerum expositione, et methodi novitate præstans, et tum Clericis instituendis, tum Sacerdotibus excolendis perutile judicatum sit a clarissimo Præceptore JOANNE BAPTISTA PIGHI, hujus Ecclesiæ Catedralis Canonico, cujus examini illud subjecimus; illius editionem typographicam non solum permittimus, sed laudamus, ejusque studium Clero universo hujus Diœcesis etiam atque etiam commendamus, ut in eo scientia pariter et devotio erga augustissimum Missæ Sacrificium crescat et proficiat.

Veronæ ex Ædibus Episcopalibus
Dominica Pentecostes A. MCMII.

✠ Card. B. BACILIERI Episc.

PRÆFATIO

Postquam R.mus Can. Jo. Bapta Pighi, clarissimus in Sacræ Liturgiæ tradendæ munere Antecessor meus, in hoc Veronensi Episcopali Seminario, suum edidit opus, cui titulus: Liturgia Sacramentorum et Sacramentalium, *quo majori consuleretur, prout reapse consultum fuit, tyronum maxime profectui in Rituum Sacrorum studio: visum est non minus utilitatis allatum iri si, pari ratione, Missæ quoque Liturgia exponeretur.*

Id ipse præstare ausus sum. Quum enim mutationes quamplures, nuper in re liturgica inductæ, nova etiam ea de re manualia exigant, neque multum ad bonum conferat discipulorum, si diversa plane methodo, variæ unius disciplinæ partes illustrentur; mea quidem fuit mens, ut tum vigens nunc jus, quoad Missam, veteri reformato, oculis subjiceretur, tum methodus, qua sapienter Auctor Liturgiæ Sacramentorum et Sacramentalium est usus, ad rectum ordinem novo operi imprimendum, opportune traduceretur.

Omnia, quæ in opere citavi, Decreta et Responsa SS. CC. Rituum et Indulgentiarum, in authenticis

recentioribus Collectionibus contuli, numero singulis addito, quem in illis ipsa præ se ferunt. Quæ vero iisdem Collectionibus posteriora sunt, numero carent, eaque ex notissimis, quæ de re liturgica evulgantur, Ephemeridibus, desumpsi.

Omne quidem me tulisse punctum minime præsumo, at non ingratum, neque inutile prorsus meum qualecumque opus, Clericis præsertim, fore, animo confido, grates peritioribus habiturus, si quod minus veritati aut claritati conforme ipsis occurrat, mihi indicare non omiserint.

Veronæ. In festo S. Petri Martyris, Civis Veron. et Patroni minus principalis hujus Ecclesiæ, qua die semisæcularia ejusdem solemnia peraguntur - 29 Aprilis 1902.

Sac. ÆMILIUS FERRAIS.

TITULUS I.

DE MISSALI ROMANO

CAPUT I.

De Missali ejusque materia.

1. Quod olim circa alios liturgicos libros, idem quoad Missale contingebat, seu, et distinctis collectionibus diversas ejus partes contineri et diversis, pro varietate Ecclesiarum, ritibus Missæ celebrandæ ordinem confici. Et sane, antequam *Missalia plenaria* obtinerent, Latini utebantur *Antiphonario*, quod partes Missæ a choro plerumque cantandas continebat; *Lectionario*, vel *Epistolario*, in quo lectiones scripturales, præsertim epistolæ S. Pauli, legebantur; *Evangeliario*, seu Evangeliorum libro; *Sacramentario*, quo, præter Orationes, Præfationes, Canonem, aliasque Missæ preces, ritus etiam conferendi sacros Ordines, administrandi Baptismum solemnem, conficiendi sacra Olea, etc. comprehendebantur. [1]

1) Horum librorum reformatores potissimum habentur RR. PP. S. Gelasius et S. Gregorius M. Unde triplex stadium, seu *antegelasianum, gelasianum* et *gregorianum,* quod in historia romanæ liturgiæ distinguit **Mabillon.** *Liturgia Gallicana. L. I, c. 2, n. 4.*

Hoc quidem ullo sine incommodo procedere poterat quando uni, quæ celebrabatur, Missæ totus aderat clerus et populus, et quisque, quod eum spectabat, ex uno vel altero libro legebat. Verum, Sacerdotibus excrescentibus, iisque singulis per se Missam legentibus quoad omnes ejusdem partes, has necesse fuit in unum codicem colligere, dictum *Missale plenarium*, de quo Leo IV. P. M. loquitur cum ait : « Missale plenarium et Lectionarium et Antiphonarium unaquæque Ecclesia habeat. » [1] Idque perduravit quousque, iis demptis a Missali quæ Missam haud spectant, compositisque seorsim aliis liturgicis libris, illud, ad hodiernam redactum formam, S. Pius V. P. M., votis inhærens S. Concilii Tridentini, edi jussit Brevi « *Quo primum tempore* » die 14 Julii 1570, sub nomine *Missalis Romani*.

2. Quum autem, privata inde auctoritate, quædam mutarentur, non obstantibus severissimis propositis pœnis, quibus S. Pius V. caverat ne quid Missali a se edito vel adderetur, vel ulla ratione demeretur, RR. Pontifices tum Clemens VIII., tum Urbanus VIII., novas et expurgatas editiones imprimi curarunt, novis adjectis pœnis contra præsumentes sua auctoritate quid immutare. Quare Missale, quod nunc a Latinis adhibetur, inscriptum legimus : *Missale Romanum ex decreto SS. Concilii Tridentini restitutum, S. Pii V. P. M. jussu editum, Clementis VIII. et Urbani VIII. auctoritate recognitum.* Novis interdum Cœlicolis, ad nostra usque tempora, divini cultus honore auctis, novæ etiam ipsorum Missæ insertæ sunt, novæque in posterum inserentur. Quinimo, auctore Leone XIII. P. M., novæ

1) **Leo IV.** *Hom. de cura pastorali.*

additiones et variationes in Rubricis Missalis Romani inductæ fuerunt, in novis hujus libri editionibus inserendæ. [1]

3. Est igitur Missale Romanum : Liber Apostolica auctoritate editus, continens preces et ritus quibus sacrosanctum Missæ Sacrificium est celebrandum, pro diversis anni temporibus et singulis diebus.

Verum quarumdam etiam Benedictionum, ex iis potissimum quæ ad Altare solent dari, formulæ reperiuntur, sive cum Missis sibi respondentibus, ut v. g. Benedictio Palmarum, sive in distincta Appendice.

CAPUT II.

De auctoritate Missalis Romani.

4. Ex tenore Brevis « *Quo primum tempore* » S. Pii V., quod Missali præfixum legitur, patet Latinis verum præceptum esse impositum utendi Missali Romano, nulla ratione habita alicuius anterioris indulti, exemptionis, dignitatis, severissimis etiam pœnis statutis, tum per citatum Breve, tum per alia « *Cum Sanctissimum* » Clementis VIII. et « *Si quid est* » Urbani VIII., contra edentes exemplaria Missalis Romani haud conformia typo Romæ existenti et sine licentia aut Inquisitoris, aut Ordinarii loci, illam conformitatem declarantium. [2]

1) S. R. C. Decr. Gener. 11 Dec. 1897. Hinc in novissimis editionibus Missalis nomini Pontificum, qui in iscriptione indicantur, additum est nomen Leonis XIII.

2) Has quidem sanctiones adhuc in suo robore permanere declaravit S. R. C. 7 Apr. 1832, n. 2692 et Decr. Gener. 26 Apr. 1834, n. 2716.

Duæ tamen exceptiones, ex voluntate positiva R. Pontificis, effugiunt obligationem ab eo impositam utendi Missali Romano. Prior est quoad Missalia ab ipsa sui prima institutione a S. Sede approbata, quod quidem valere dicendum est sive quoad ea quæ ante Breve S. Pii V. jam existebant, sive quoad ea quæ post illud vel approbarunt vel approbaturi sunt RR. Pontifices. Altera est de Missalibus quæ a ducentis annis ante præfatum Breve assidue usu fuerant, et quidem pro Ecclesiis tantum quæ illis usæ sunt.

Hinc est quod, præter Missale Romanum, et alia ab hoc diversa adhiberi passim cernimus in Ecclesia Latina, præsertim penes Religiosos Ordines, quamvis nunc in toto fere Occidente, antiquis repudiatis liturgiis, Romana tantum recepta conspiciatur [1]. De Orientali Ecclesia non loquimur, at certe ad illam non extenditur præceptum Brevis S. Pii V.

5. Ad Rubricas vero Missalis quod attinet, eas distinguimus quæ sunt extra actum Missæ, sive ante, sive post, ab illis quæ actum Missæ spectant. Priores esse *per se* præceptivas non omnes conveniunt; imo S. Alphonsus profitetur sententiam id negantem eam esse quam ipse sequitur [2], quamvis hoc idem non ad omnes Rubricas extendat, ut relate ad manuum lotionem et ad preces dicendas dum vestes sacræ assumuntur. Posteriores Rubricas esse præceptivas, vel *sub gravi*, vel *sub levi*, commune est.

1) De antiquis ritibus vigentibus in Ecclesiis Mediolanensi, Hispana et Gallicana, atque de variis ritibus orientalibus cf. **Lapini.** *Istituzioni Liturgiche. Lezz. IX et XXIV* (ediz. II. 1895)

2) **S. Alphonsus.** *Theol. Mor. L. VI. n. 399.* Ita etiam **Gury**. *Theol. Mor. Vol. II. n. 403,* et **Ballerini** *Op. Theol. Mor. Vol. IV. n. 238.* Contra vero *Ephem. Liturg.* 1890, pag. 8

6. Ex dictis certo constat: nulli ritus latini Sacerdoti, quacumque præfulgeat dignitate, fas esse uti Missali diverso a Romano, licet in Ecclesiis, quæ Missali privilegiato gaudent, celebrare ei contingat. Quod sane ita est intelligendum, ut ritu illarum Ecclesiarum proprio non celebret, non autem ut suo ritu Missas illis concessas, etsi in Missali Romano non insertas, recitare non valeat [1]. Item Rubricas, saltem quæ Missæ actum respiciunt, ad amussim esse observandas, ne in actione tam sancta, cui trementes assistunt Angeli, facile peccetur et scandalum obveniat fidelibus adstantibus.

CAPUT III.

De Missalis partibus.

7. Quum mysteriorum, quibus nostræ Redemptionis œconomia absolvitur, atque Sanctorum recordatio pari temporis gradu minime procedat, (horum quippe festa singulis diebus juxta computationem anni civilis, qui a die I. Januarii decurrit, assignantur, illorum vero series anno ecclesiastico, qui est a Dominica I. Adventus, continetur,) conveniens fuit quod Missæ, quæ ad mysteria referuntur, seu *de tempore*, discernerentur a Missis de Sanctis.

Item Sanctorum Missæ aliæ propriæ sunt uniuscujusque, aliæ pluribus communes; aliæ universæ Ecclesiæ, aliæ quibusdam tantum locis concessæ. Accedunt Missæ de particularibus aliquibus mysteriis et aliæ pro determinatis necessitatibus statutæ.

1) S. R. C. Decr. Gener. 9 Julii 1895, n. 3862.

Hinc ratio pro diversa Missarum classi, diversas in Missali assignandi partes, quas nunc exponimus.

8. Porro quinque potissimæ enumerantur Missalis divisiones, præter Rubricas quæ ab initio, úna cum Pontificiis Brevibus, tabulis temporariis et Calendario perpetuo, leguntur.

Prima pars inscribitur: *Proprium Missarum de tempore*, et Missas comprehendit pro variis anni liturgici temporibus legendas in Dominicis et Feriis, cum de istis fit, a Dominica I. Adventus ad ultimam post Pentecosten. Attamen post Missam Sabbati sancti inseritur *Ordo Missæ*, quæ pars invariabilis est, paucis exceptis, pro toto anno.

Secunda pars titulum habet: *Proprium Missarum de Sanctis*, Missasque continet proprias cujusque ex pluribus Sanctis in Calendario designatis per dies anni civilis. Incipit tamen a die XXIX. Novembris, quæ solet esse proximior Dominicæ I. Adventus.

Tertia pars est: *Commune Sanctorum*, cum habeat Missas communes cuicumque Sancto propriam non habenti. Istæ tamen communes sunt aut unius, vel plurium Martyrum, aut Confessorum vel Pontificum, vel non Pontificum, vel Doctorum, aut Virginum, vel non Virginum; accedit Missa *in anniversario Dedicationis Ecclesiæ.*

Quarta pars comprehendit Missas votivas, seu duodecim per dies hebdomadæ distributas hoc ordine: de Ss. Trinitate; de Angelis; de SS. Apostolis Petro et Paulo; de Spiritu S.; de Ss. Eucharistiæ Sacramento; de S. Cruce; de Passione D. N. J. C. et quinque de S. Maria pro varietate temporis, seu ab Adventu ad Nativitatem D. N. J. C., a Nativitate D. N. J. C. ad Purificationem, a Purificatione ad Pascha, a Paschate ad Pentecosten, a Pentecoste ad Adventum. Accedunt aliæ tresdecim

Missæ votivæ dicendæ pro variis circumstantiis et necessitatibus et sunt: De eligendo Summo Pontifice; in anniversario electionis seu consecrationis Episcopi; ad tollendum schisma; pro quacumque necessitate; pro remissione peccatorum; ad postulandam gratiam bene moriendi; contra Paganos; tempore belli; pro pace; pro vitanda mortalitate; pro infirmis; pro peregrinantibus; pro sponso et sponsa. Dein sunt sex pariter votivæ concessæ a Leone XIII. an. 1883, seu de Angelis; de SS. Apostolis; de S. Joseph; de Ss. Eucharistiæ Sacramento; de Passione D. N. J. C.; de Immaculata Conceptione B. M. V., assignatæ respective sex diebus infra hebdomadam, et respondentes totidem Officiis votivis loco ferialium dicendis.

In hac parte insertæ habentur Orationes seu Collectæ diversæ, dicendæ vel jussu Superioris, vel data necessitate et ritu permittente; item Missæ pro Defunctis, et quædam formulæ Benedictionum, prout in antiquis Sacramentariis habebantur. (Cf. n. 1.)

Quinta pars est Appendix habens Missas celebrandas aliquibus in locis ex indulto Apostolico. Singulæ Diœceses habent etiam aliam Appendicem priori adnexam, qua Missæ continentur ipsis peculiariter concessæ.

TITULUS II.

DE MISSA IN GENERE

CAPUT I.

De Liturgia Missæ.

9. Quemadmodum Christus Jesus, discessurus ex hoc mundo, Eucharistiæ Sacramentum instituit, et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, ita, ait Concilium Tridentinum, « Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum, in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat.... quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, qua nocte tradebatur.... Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem Suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit ; et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerent, præcepit, per hæc verba : Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit [1]. »

Hæc quidem divinam ostendunt sacrosancti Missæ Sacrificii institutionem, simulque exhibent quæ

1) *Conc. Trid. sess. XIII cap. II.*

in eodem essentialia et immutabilia sunt tenenda, quæque ad corporis et sanguinis Christi Jesu sub speciebus panis et vini oblationem Deo factam reduci possunt.

10. At simul, « cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronunciarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut misticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur [1]. »

Quibus sane verbis institutio humana, sive Apostolica, sive ecclesiastica, indicatur rituum, quorum nullus supervacaneus, aut inanis existimandus est [2], qui Sacrificii essentialia præcedunt, vel comitantur, vel subsequuntur, quique, pro temporum, locorum et personarum diversa ratione, diversi esse potuerunt et sunt, cum elementum accessorium et mutabile constituant.

11. Equidem nullum dubium, quin Apostoli, post acceptum Spiritum S., determinatis, etsi non semper æqualibus, ritibus, Missæ Sacrificium celebraverint [3], quos, sin scripto, usu tamen Ecclesiis a se rectis tradiderunt, ita ut, qui potissimi sunt, huic Apostolicæ traditioni nitantur et cuicumque

1) *Conc. Trid. sess. XII cap. V.*
2) *Catech. Conc. Trid. de Euchar. circa finem.*
3) *Actor. II. 42.*

liturgiæ communes plus minusve semper inveniantur [1].

Sed insuper RR. Pontifices, juris liturgici supremi moderatores, plura addiderunt, quæ vel in Constitutionibus a se editis, vel in Rubricis Missalis, vel in Decretis S. Rituum Congregationis, imo et in laudabilibus consuetudinibus, continentur.

12. De Constitutionibus Pontificiis et de Rubricis nihil est quod dicamus, præter dicta n. 5., evidens enim est per eas voluntatem supremi Legislatoris manifestari, cui obsecundare est necesse. Tantum notamus, quod si inter generales Rubricas Missalis, huic præfixas, et particulares, in Ordine Missæ insertas, quandoque cernitur quædam discrepantia, hæc potius apparens est, quatenus nempe quod expresse præscribitur in uno loco, reticetur vel obscurius exprimitur in alio [2].

Quoad vero Decreta S. R. Congregationis, ea pariter habenda sunt uti regula proxima eorumdem rituum; habent enim eamdem auctoritatem ac si immediate ab ipso R. Pontifice promanarent [3]. Quare obligant omnes si generalia sunt aut *formaliter*, aut saltem *æquivalenter*, quatenus nempe eamdem constanter sententiam, in pluribus particularibus casibus datam, exhibent.

Porro de authentico fonte a quo illa Decreta dimanant constare debet, ut obligationem inducant, et certo constat quoad Decreta quæ in Authentica Collectione, jussu Leonis XIII. edita anno 1900, inveniuntur.

13. Consuetudinem quod spectat, hæc in re

1) Cf. **Lapini**. *Istituz. Liturg. Lezz. III. et IV.*
2) **De Herdt**. *S. Liturgiæ Praxis. Tom. I. n. 9.*
3) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2916.

liturgica generatim non admittitur, nisi sit immemorabilis. Insuper admittitur si sit vel *juxta*, vel *præter* Rubricas [1], præsertim si cultum divinum non minuit, sed auget. *Contra* vero Missalis Rubricas non admittitur consuetudo [2], quæ potius abusus et corruptela declarata fuit a RR. Pontificibus in Brevibus eidem Missali præfixis, nisi agatur de ea quæ tam generalis est, ut tacitus R. Pontificis consensus haberi censeatur [3]. Quod si in particularibus casibus de tollenda quadam consuetudine agatur, quod sine scandalo, vel admiratione fieri nequit, recurrendum est ad S. Congregationem, quæ aliquando illam tolerari posse declaravit.

CAPUT II.

De relatione Missæ cum Divino Officio.

14. Rubricæ Generales Missalis exordiuntur ab his verbis: « Missa quotidie dicitur secundum ordinem Officii, de festo Duplici, vel Semiduplici, vel Simplici: de Dominica vel Feria, vel Vigilia, vel Octava; et extra ordinem Officii, Votiva, vel pro Defunctis. »

Est igitur intima connexio Missam inter et Divinum Officium, cui illa, regulariter, conformari debet. Hinc, quemadmodum singulis Officiis reci-

1) Ita inducta est praxis abstergendi ora Calicis post infusionem vini et aquæ, ad Offertorium, quam praxim laudavit S. R. C. 7 Sept. 1816 n. 2572, ad XIV.

2) S. R. C. 19 Aug. 1651, n. 937, ad II.

3) Hoc contigisse dicendum est quoad intorticium accendendum ad Consecrationem, ex Rubr. *Rit. serv. in celebr. Miss. Tit. VIII. n. 6.* Cf. S. R. C. 9 Jun. 1899, n. 4029, ad II.

tandis suus ab Ecclesia assignatur ritus suumque objectum, singulæ pariter Missæ illis respondentes eumdem ritum, idemque objectum habent.

Porro, hac in re, ritus est vel *Duplex*, vel *Semiduplex*, vel *Simplex*. *Duplex* indicat digniorem Officii dignitatem, et in quatuor subdistinguitur gradus. Ex his, qui excelsior est dicitur *Duplex I. classis*, quo solemniora festa gaudent. Sequitur *Duplex II. classis ;* dein *Duplex major* et *Duplex minor*. Ritus *Semiduplex* medius stat inter Duplicem et Simplicem, eoque præditæ sunt, præter quædam Sanctorum festa, Dominicæ infra annum, paucis exceptis, et dies infra Octavas. Ritus *Simplex* est cœteris minus solemnis, eoque ornantur nonnulla Sanctorum Officia, Feriæ et generatim Vigiliæ.

15. Dominicæ dividuntur in *majores*, seu *privelegiatas*, et *minores*. *Majores* eæ sunt in quibus coluntur potiora Religionis nostræ mysteria et distinguuntur ita ut alia sint I., alia, II. classis. Priores nulli festo cedunt et octo numerantur, seu : Prima Adventus, prima Quadragesimæ, Passionis, Palmarum, Paschatis, in Albis, Pentecostes, Ss. Trinitatis. — Posteriores cedunt tantum festo Duplici I. classis, et novem numerantur, seu : Secunda, tertia et quarta tum Adventus, tum Quadragesimæ, Dominicæ Septuagesima, Sexagesima et Quinquagesima. Cæteræ *minores* dicuntur et cuicumque festo ritus Duplicis cedunt. Omnes tamen, etiam *majores*, ritus sunt Semiduplicis, si tantum excipiantur quatuor, seu : Dominicæ Paschatis, in Albis, Pentecostes et Ss. Trinitatis, quarum ritus Duplex est.

16. Ad majorem solemnitatem, quædam festa suam habent Octavam, in qua, *generatim*, vel de eadem Officium fit, vel saltem ejus commemoratio. Porro Octavæ aliæ sunt *privilegiatæ*, aliæ *commu-*

nes. *Privilegiatæ* quinque numerantur, scilicet: Nativitatis D. N. J. C., Epiphaniæ, Paschatis, Ss. Trinitatis et Corporis Christi, et hæ, vel quodcumque, vel quoddam aliud festum excludunt. Aliæ Octavæ sunt *communes*.

17. *Feriæ* sunt dies in quibus nullum occurrit festum, vel nulla Octava. Dividuntur et hæ in *majores* et *minores*. *Majores*, de quibus aut Officium, aut commemoratio debet fieri, sunt quæ occurrunt in Adventu, Quadragesima, Quatuor temporibus et Feria II. Rogationum. Ex his quidem aliæ sunt *privilegiatæ*, seu Feria IV. Cinerum et omnes infra Majorem Hebdomadam, quæ nulli cuicumque festo cedunt; aliæ sunt *communes*. *Minores* Feriæ sunt cæteræ, de quibus ne commemoratio quidem fit.

Demum *Vigiliæ*, quæ festum aliquod e solemnioribus præcedunt, sunt vel *privilegiatæ*, vel non. Illæ tres numerantur, seu: Nativitatis D. N. J. C. ritus Duplicis a Laudibus, Epiphaniæ et Pentecostes, ritus Semiduplicis: prima et tertia nulli festo cedunt; secunda cedit festo ritus Duplicis. Reliquæ Vigiliæ sunt *non privilegiatæ* et ritus simplicis.

CAPUT III.

De Nomine et Divisione Missarum.

18. Antiquiores denominationes, quibus Altaris Sacrificium indicatur, sunt: *Fractio panis*, *Oblatio*, *Communio*, *Liturgia*, *Anaphora* (sursum elatio), *Eucharistia*, *Mysterium*, *Collecta* vel *Synaxis*, *Dominicum*, etc. Nonnisi sæculo III. labente, et sæculo IV., in Ecclesia Latina commune fuit nomen *Missæ*, quod ideo non quidem hebraicam, neque grecam,

sed latinam prorsus originem habere est dicendum; secus jam ab initio usurpatum videremus. Est igitur *Missa* a voce *mittere* (italice: *mandare, licenziare)* idem ac *missio*, levi facta inflexione, ceu *oblata* pro voce *oblatio*, et indicavit aliquando quæcumque Ecclesiastica officia, quibus expletis populus dimittebatur. At frequentius ad Sacrificium Altaris indicandum fuit nomen illud usurpatum, et quidem plurali numero, ut *Missas facere, Missarum solemnia* etc. quia olim, præter communem populi dimissionem in fine Sacrificii, et alia erat, post Evangelium, qua dimittebantur pœnitentes et catechumeni dicti *audientes*, quippe quibus, præter verbi Dei auditionem, non licebat mysteriis adsistere. Ratio vero obscuri nominis a disciplina arcani, qua regebantur veteres fideles, ne infidelibus proderentur, est repetenda [1].

19. Quamquam una eademque est semper et ubique substantialiter Missa, sicut unus idemque est Christus, qui in ipsa offertur, spectatis tamen particularibus adjunctis, quibus contingit eam celebrari, diversas obtinet denominationes. Habetur enim Missa solemnis, cantata, privata seu lecta, conventualis, parochialis, de tempore, de Sanctis vel mysteriis, votiva et de *Requiem*.

Missa *solemnis* est quæ cum cantu, sacris Ministris et multiplici cæremoniarum apparatu celebratur. *Cantata* est quæ celebratur cum cantu, sed sine sacris Ministris. *Lecta* est quæ dicitur sine ullo cantu: nuncupatur etiam *privata*, prout solemni opponitur; per se enim et ipsa est publica, quia in bonum totius Ecclesiæ et hujus nomine celebratur. *Conventualis* est Missa, sive solemnis,

1) Cf. **Benedictus XIV.** *De S. Missæ Sacrificio. L. II. c. I.*

sive cantata, sive etiam lecta, propria Conventuum et Capitulorum; ideo non recte hoc nomine designatur quæ est simpliciter cantata, ubi nulla adest obligatio chori. *Parochialis* dicitur Missa quæ diebus Dominicis et festis, etiam suppressis, a Parocho celebratur pro populo, et in qua solet haberi homelia evangelica. Sunt *de tempore* Missæ quæ continentur in prima parte Missalis (cf. n. 8); *de Sanctis* vel *mysteriis*, quæ istorum Officiis respondent; *votivæ*, quæ dictis Officiis non respondent; *de Requiem*, quæ emortuali ritu celebrantur pro Defunctis. Fusius agemus de his omnibus infra.

TITULUS III.

DE IIS QUÆ MISSÆ CELEBRANDÆ PRÆREQUIRUNTUR

CAPUT I.

De loco Missae celebrandæ

20. Loca in quibus ipsi Apostoli Sacrum litabant fuerunt ab initio cubicula in privatis domibus existentia et *cœnacula* nuncupata, at inde a domibus distincta et sacris addicta, quæ *dominica*, vel *martyria* appellabantur, quia Domino dicata, vel prope martyrum sepulcra extructa. Accesserunt *Basilicæ*, seu ampliora loca in quibus christiani suos agebant conventus, nomine retento ædium civilium publicis negotiis et judiciis addictarum, ut infidelibus magis illi occultarentur. Hæc quidem loca, ab ipsis conventibus, seu convocationibus fidelium, etiam *Ecclesiæ* dicta fuerunt, ceu etiamnum dicuntur, sensu vocis translato a cœtu convocato ad ædificium illum continens. Interea tamen, sævientibus persecutionibus, nullus ferme locus fuit, in quo sacra mysteria non celebrarentur, et, Romæ præsertim, in arenariis et cryptis fideles conveniebant, ut Sacrificii, absque persecutorum metu, participes fierent.

21. Sacra vero templa, sin antea, certe a tempore Pontificis S. Silvestri I. (a. 314-337) speciali ritu erant Deo dicanda, seu ritu consecrationis, qui, prout nunc adhibetur, in Pontificali R. legitur. Ve-

rum excrescentibus templis atque difficultatibus illa omnia consecrandi, quod per Episcopum tantum fieri poterat, concessum fuit ut per simplicem etiam benedictionem, ab Episcopo, vel Sacerdote ab eo delegato factam, templa, præsertim minora, dicari possent. Porro « incumbere debent Episcopi ut Ecclesiæ saltem Cathedrales et Parochiales solemniter consecrentur. Quoad minores Ecclesias, si nolint uti jure suo illas solemniter consecrandi, facultatem tribuant Sacerdotibus eas benedicendi [1]. »

22. Regula canonica statuta in Concilio Tridentino, per quam jus vetus limitatur, est ne Episcopi « patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, S. Sacrificium a sæcularibus aut Regularibus quibuscumque peragi [2]. » Loca igitur in quibus Episcopi auctoritate licet celebrare Missam sunt Ecclesiæ et Oratoria cultui divino dicata sive consecratione, sive benedictione.

Oratoria autem ita distinguuntur ut alia sint vel *publica*, vel *semipublica*, alia sint *privata* seu *domestica*. In his, quæ in privatorum exclusivum usum eriguntur, et benedictione Ecclesiæ propria minime benedicuntur, non licet, sine Apostolico Indulto, celebrare [3]; idemque Indultum pluribus limitibus sive personarum, sive temporis, sive loci, solet coarctari.

Oratoria *publica* ea sunt quæ, auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dicata, be-

1) S. R. C. 7 Aug. 1875, n. 3364, ad I. Cf. resp. 2 Sept. 1871, n. 3255, ad III. Ritus benedicendi Ecclesias exstat in Appendice Ritualis Romani.

2) *Conc. Trid. Sess. XXII. Decr. de observ. et vit. etc.*

3) S. R. C. 20 Sept. 1749, n. 2404, ad V.

nedicta, vel etiam solemniter consecrata, januam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum.

Semipublica ea sunt quæ, etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sint, commodo tamen non fidelium omnium, nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus communitatis vel personarum cœtus inserviunt. Hujus generis sunt quæ pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendæ destinata; ad Nosocomia, Orphanatrophia, nec non ad Arces et Carceres, atque similia Oratoria in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam [1]. Quibus adjungi debent Cappellæ in Cœmeterio rite erectæ, dummodo in Missæ celebratione omnibus fidelibus aditus pateat [2].

1) Hæc verba: « - *atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam* - intelligi posse de quibuscumque fidelibus qui assentiente domino loci et Ordinarii auctoritate interveniente, accedant ad prædicta Oratoria pro audienda Missa etiam in adimplementum præcepti festivi » rescripsit S. R. C. 3 Aug. 1901. Ex hoc deducitur, in casu quod certus fidelium numerus accedat pro audienda, diebus etiam festivis, Missa, hujus celebrationem et auditionem Ordinarium permittere posse in Oratoriis quoque privatis. Cf. *Il Monit. Eccles. Ser. II. Vol. III. pag. 349, nota.* Hæc conclusio clarius deducitur ex ipsa facti-specie exposita S. R. Congregationi a R. D. Secretario Vicariatus Urbis, quo instante citatum responsum datum fuit.

2) S. R. C. Decr. Gener. 23 Januar. 1899, n. 4007.

23. In Oratoriis, sive publicis, sive semipublicis, licet Ordinarii auctoritate celebrare Missam, et omnes fideles qui eidem intersunt, quamvis ad Communitatem, cum agitur de semipublicis, non pertineant, præcepto festivo audiendi Sacrum faciunt satis. Attamen ut in altero Oratorio, præter principale, possit in piis Communitatibus Missa celebrari, opus est Apostolico Indulto [1].

In Oratoriis privatis olim Episcopi poterant suo jure permittere celebrationem Missæ. Verum Concilium Tridentinum hanc facultatem ademit, prout inde expressius declaravit S. Congregatio Concilii, jussu Pauli V., dicens soli R. Pontifici eam esse reservatam [2]. Quum tamen gravissimi Doctores, quos inter S. Alphonsus [3], distinctione facta inter facultatem habitualem, seu permanentem, et actualem, seu transeuntem, illam tantum, non vero hanc Episcopos concedere posse negarent celebrandi in Oratoriis privatis, non obstantibus declarationibus S. Sedis, demum re discussa in plenariis comitiis, S. Congregatio super dubium: « An Episcopus possit, justa interveniente causa, facultatem concedere celebrandi in Oratoriis privatis in casu? » respondit: « Negative, nisi tamen magnæ et urgentes adsint causæ, et per modum actus tantum [4]. » Porro causæ hujusmodi certe habentur si vera sit impotentia adeundi Ecclesiam, nec sine damno possit Missæ celebratio omitti, puta quia communicandus est infirmus ad quem ab Ecclesia deferri nequit Ss. Eucharistia sine magna

1) S. R. C. 8 Mart. 1879, n. 3484, ad II.
2) S. C. C. 10 Martii 1615. **Benedictus XIV** *De S. Missæ Sacrif. L. III. c. VI. n. 2.*
3) **S. Alphonsus.** *Theol. Mor. L. VI. n. 359*
4) S. C. C. 20 Dec. 1855.

difficultate, vel quia urget spiritualis necessitas dicendi vel audiendi Missam [1].

24. At per Concilium Tridentinum minime derogatum fuit privilegio quo S. R. E. Cardinales et Episcopi possunt in ædibus ordinariæ suæ habitationis Oratorium habere, in eoque ipsi, imo et alii Sacerdotes, etiam privilegiato absente, vel Sede Episcopali vacante, celebrare, ita ut ab omnibus satisfiat præcepto audiendi Missam. Extra vero domum suæ habitationis possunt iidem Cardinales et Episcopi, in loco ubi degunt, super Aram portatilem celebrare et, ipsis præsentibus, celebrationem permittere unius Missæ, ita ut adhuc ab omnibus præcepto festivo satisfiat. Quod quidem privilegium Episcopis quoque Titularibus prodesse declaratum fuit [2].

Communiter etiam tribuitur Episcopis facultas permittendi celebrationem Missæ extra Ecclesiam, sub dio, in casu necessitatis, v. g. si Ecclesia diruta est vel periclitatur; si ob magnum concursum populi hic in illa nequit contineri; in castris pro exercitu; in littore maris pro navigantibus; non vero in navi, nisi ex Indulto Apostolico [3].

25. Canonistæ docent quibus in casibus Ecclesia consecrata, vel benedicta, execratur, vel polluitur. Porro si id contingat, non amplius licet in ea celebrare nisi execrata denuo consacretur vel benedicatur, et polluta reconcilietur. Hoc unum præstat adnotare, nempe Ecclesiam haud execrari per solam

1) Cf. **M. C. G.** *Consultaz. Mor. Can. Lit. P. II Cons. X.*

2) S. R. C. 19 Maji 1896, n. 3906; 2 Julii 1661, n. 1196; 8 Apr. 1854, n. 3021. Cf. *Il Monit. Eccles. Ser. I. Vol. X. P. I. pag. 211* et *Ser. II. Vol. III. pag. 81.*

3) **Benedictus XIV.** *De S. Missæ Sacrif. L. III c. VII., n. 7*, - S. R. C. 4 Martii 1901, ap. *Acta S. Sedis Vol. XXXIII.*

parietum et crucium abrasionem, prout S. Congregatio declaravit, secus ac olim sentiebant Doctores [1].

Rubrica Missalis ait : « Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa : si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci ubi celebratur, ante Consecrationem dimittatur Missa, post Consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis [2]. »

CAPUT II.

De Altari ejusque ornatu.

26. Jam ab ævo Apostolico mos est Missam celebrandi super *altam aram*, seu *Altare*, quod olim ex ligno, imo et auro vel argento, esse poterat; at, jubente Silvestro Pontifice, nonnisi ex lapide esse nunc debet. Quare Rubrica Missalis est : « Altare, in quo sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum.... vel saltem ara lapidea... in eo inserta, quæ tam ampla sit, ut Hostiam et majorem partem Calicis capiat [3]. »

Quod requiritur est ut sit verus lapis, sive marmoreus, sive non, at durus et compactus, non puniceus, ex gypso aliâve simili materia [4]. Et siqui-

1) S. R. C. 19 Maji 1896, n. 3907, ad II; 9 Aug. 1897, n. 3962, ad I.

2) *Miss. Rom. De defect. in celebr. Miss. occurr. Tit. X. n. 2.*

3) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. XX.*

4) S. R. C. 29 Apr. 1887, n. 3674. ad III ; 13 Junii 1899. n. 4032, ad I. et II.

dem unicus sit lapis [1], qui totam constituit mensam et suæ basi adhæret inamovibiliter, Altare dicitur *fixum*; si lapis non adhæret basi, sed hujus structuræ solo fixæ est superpositus amovibiliter, habetur Altare *ad instar fixi*; si tandem, præter lapidem mobilem, existit et basis ex ligno [2], ut plurimum, confecta, pavimento non adhærens, habetur Altare *mobile* seu *portatile*. Super quodcumque ex his licet celebrare.

27. At insuper ex ipsa Rubrica Missalis: « Altare.... debet esse.... ab Episcopo.... consecratum. » Idem dicitur de ara lapidea. Porro Altare fixum consecratur conjunctim cum sua basi, cui debet omni ex parte adhærere, [3] ita ut structura, quam oportet esse lapideam nec lateritio etsi levigato ad instar marmoris tectam [4], obtrudat totum in circuitu spatium, quamvis intus aliquid vacuum sub mensa relinquatur [5], ubi collocari possit arca cum Reliquiis Sanctorum, non vero armarium ad reponenda paramenta etc. [6]. Altare ad instar fixi et mobile disjunctim a basi consecratur; quare potest ab una ad aliam basim tutò transferri.

Nullum Altare consecrari valet, nisi in ipsa

1) S. R. C. 17 Junii 1843, n. 2862, ad I.
2) S. R. C. 10 Nov. 1612, n. 303.
3) S. R. C. 20 Dec. 1864, n. 3126.
4) S. R. C. 14 Dec. 1888, n. 3698.
5) S. R. C. 28 Sept. 1872, n. 3282.
6) S. R. C. 20 Dec. 1890, n. 3741. Ex hoc responso negandum etiam videtur construi posse Altare fixum mensa superposita marmoreis columellis tantum, contra id quod innuit responsum 7 Aug. 1875, n. 3364, ad II. Quod certum habetur est mensam debere omni ex parte basi adhærere, quare si basis solis columellis confici valet, oportet harum capitella ita extendi ut ipsis tota undique insideat mensa.

mensa sit effossum sepulcrum, parvo quidem lapide [1] cooperiendum, in quo recludantur Reliquiæ ex corpore plurium SS. Martyrum, quibus et aliæ Sanctorum non Martyrum addi possunt [2].

28. In Altari nondum consecrato, vel in execrato nulli fas est celebrare. Execratur autem quod est fixum per avulsionem mensæ a sua basi vel basis a pavimento [3]. Quodcumque execratur per fracturam lapidis notabilem, quæ contingit 1) si substantialis unitas cessat; 2) si pars frangitur, quamvis levis in se, ex iis quæ speciali ritu ab Episcopo fuerunt inunctæ, quæque crucem sculptam habere solent [4]. Item execratur per violationem sepulcri Reliquiarum, sive hæ removeantur, sive operculum aut frangatur, aut e suo loco tollatur, licet statim reponatur; quamvis de his dubitetur tantum [5].

Attamen Ecclesiâ execratâ, non per hoc execrantur Altaria in ea existentia, sed hæc polluuntur Ecclesiâ pollutâ, si fixa sunt, non vero si mobilia.

Profanatum censetur Altare si extructum sit super sepultum cadaver, infra distantiam trium cubitorum, neque licet celebrare in eo, nisi cadavere amoto, si commode id fieri potest [6].

1) Quamvis consecrationi non obsit operculum metallo confectum, ex resp. S. R. C. 23 Junii 1892, n. 3779, ad IV, tolerari tamen non possunt sacræ mensæ quarum sepulcrum quadam subtili lamina confecta ex vulgo *ottone* aut *latta*, obtectum est. S. R. C. 16 Sept. 1881, n. 3532 ad I.

2) S. R. C. 6 Oct. 1837, n. 2777; 13 Apr. 1867, n. 3155. Cf. **De Herdt**. *S. Lit. Praxis Tom. I. n. 178.*

3) S. R. C. 20 Febr. 1874, n. 3326, ad I.

4) S. R. C. Instruct. 6 Oct. 1837 n. 2777.

5) S. R. C. 31 Aug. 1867. n. 3162, ad V; 25 Sept. 1875 n. 3379; 23 Junii 1879, n. 3497, ad II; 18 Maji 1883, n. 3575, ad XI.

6) S. R. C. 11 Junii 1629, n. 508; 2 Apr. 1875, n. 3339; 12 Januar. 1897, n. 3944 ad II. Constat tres cubitos esse unum metrum longitudinis.

Super ipum Altare, ne lectus sit in quo dormiatur curandum est, propter reverentiam Sacrificio debitam, neque fenestra ulla extruatur, et in necessitate caveatur ne una quidem aquæ gutta penetrare possit [1].

Unum saltem Altare fixum sit oportet in Ecclesiis consecratis, præsertim Altare majus; in benedictis tantum saltem unum sit ad instar fixi, cætera, majori non excluso, esse possunt mobilia [2].

29. Juxta Pontificale Romanum [3], super mensam, ad hujus mensuram, sternitur chrismale, seu pannum lineum ceratum; super hoc ponendæ sunt, ex præscripto etiam Missalis [4], tres mappæ, seu tobaleæ mundæ, superiori saltem oblonga, quæ ad terram ex utraque parte, non obstante contraria consuetudine, pertingat [5], duabus aliis brevioribus, vel una duplicata.

Quæres: Num hæc omnia de præcepto sint? Resp.: 1.° Quoad chrismale, seu linteum ceratum, negandum censemus, tum quia Pontificale potius descriptive, quam præceptive de eo loquitur, tum quia in Rubricis Missalis nulla est de eo mentio. 2.° Quoad tobaleas, certo hæ præcipiuntur et grave est nullam, excepto casu gravis necessitatis, leve duas tantum adhibere [6].

1) S. R. C. 11 Maji 1641, n. 756; 12 Sept. 1840, n. 2812. **Fumagalli.** *Manuale etc. P. II. v. Altare n. 7.*

2) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3162, ad I; 4 Febr. 1898, n. 3978, ad VI.

3) *Pontif. Rom. Bened. tobalear. vasor. etc.*

4) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. XX. et De defect. etc. Tit. X. n. 1.*

5) S. R. C. 9 Junii 1899, n. 4029, ad I.

6) **S. Alphonsus.** *Theol. Mor. L. VI. n. 375.* Sed quartam superimponere oblongiori, ne hæc maculis inquinetur, præsertim cum, ob ipsius ornatus, haud expediat sæpius eam abluendam tradere, prohibitum non dicimus.

30. Nonnisi ex lino, vel cannabe mundo et albo, confici debent Altaris mappæ, quavis alia materia exclusa [1], permisso solummodo textili pinnato, vel opere ex lacinia, ex auro etc. in earum estremitatibus. « An in tobaleis Altarium, in albis et superpelliceis tolerari possint vela transparentia, quæ repræsentent Cruces, Ostensoria, Calices cum Hostia, figuras Angelorum et alia similia sacra objecta? » S. R. C. respondit: « Posse permitti » [2].

Tobaleæ ex præcepto sunt benedicendæ ab Episcopo, vel a Sacerdote delegato, seu habente facultatem etiam generalem benedicendi sacra indumenta, juxta formulam Ritualis vel Missalis. Benedictionem autem amittunt, cum formam suam substantialiter mutant, vel amplius usui suo servire decenter nequeunt. Cf. dicenda n. 42.

Crepidines seu coronides ligneæ, vel metallicæ, circa angulos Altaris, nequaquam sunt ducendæ, sed earum loco apponi poterunt fasciæ ex auro, vel serico elaboratæ ac variegatæ, quibus ipsa Altaris facies apte redimita, ornatiorque appareat [3].

31. Anterior pars Altaris ornetur antipendio pallio serico, vel ex alia simili materia, coloris, quoad fieri potest, diei festo vel Officio convenientis [4]. Ab usu tamen pallii excusare potest Altaris pretiositas, quod sit auro, vel lapide pretioso ornatum, vel marmore, vel ad instar tumbæ confectum [5]. Et ratione paupertatis, vel alterius causæ,

1) S. R. C. Decr. Gen. 15 Maji 1819, n. 2600.
2) S. R. C. 5 Dec. 1868, n. 3191, ad V.
3) *Cærem. Episc. L. I. c. XII. n. 11.*
4) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. XX.*
5) **De Herdt.** *S. Lit. Praxis. T. I. n. 180.*

toleratur quod ex pictis asseribus aut alia materia, qecenti tamen, sit factum [1].

32. Super Altare collocetur Crux in medio [2], ut in incruento, quod celebratur, Sacrificio, omnibus Crucifixi imago renovet passionis Christi memoriam. Sub levi Crucem præcipi dicunt [3]; at cum Cruce etiam Crucifixus præcipitur, tum quia ipsum supponit Rubrica Missalis [4], tum quia expresse illum nominat Cæremoniale Episcoporum [5], tum quia id est conforme praxi perantiquæ Ecclesiæ [6].

Sit autem Crux omnibus conspicua, seu supereminеat candelabris hinc inde positis, vel saltem visibilis ac talis magnitudinis, ut subito in conspectu veniat Celebrantis et populi. Quare S. R. Congregatio reprobavit abusum collocandi parvam Crucem vix visibilem, vel supra Tabernaculum, vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio Altaris, loco Crucis collocandæ inter candelabra [7]. Quod si aliquam ob causam removenda sit Crux sita inter candelabra, alia, tempore Sacrificii, apte inferius apponatur, sed conspicua tum Celebranti, tum populo, seu collocari potest vel supra Tabernaculum, hujus vertici infixa, vel super laminam quamdam e basi eminentem throni in quo Sacramentum exponitur, numquam tamen in throno ipso, soli Eucharistiæ reservato [8]. Verum dictæ Crucis

1) **Fornici**. *Instit. Lit. P. I. c. III.*
2) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. XX.*
3) **S. Alphonsus**. *Theol. Mor. L. VI. n. 393.*
4) *Miss. Rom. Ritus celebr. Miss. Tit. II. n. 2.*
5) *Cærem. Episc. L. I. c. XII. n. 11.*
6) **Benedictus XIV**. *De S. Missæ Sacrif. L. I. c. III. n. 1 seqq.* et Constit. « *Accepimus* » 16 Julii 1746.
7) S. R. C. 17 Sept. 1822, n. 2621, ad VII.
8) S. R. C. 2 Junii 1883, n. 3576, ad III.

locum tenere potest eamque supplere magna Crux, etiam depicta, quæ locum principem Altaris occupat [1], imo et ipsa Ss. Eucharistia publice exposita si consuetudo invaluerit [2].

Crucem, quæ super Altare ponitur, minime necesse est benedicere, et a quocumque Sacerdote privatim ea benedici potest [3].

33. Candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc inde in utroque Altaris latere habeantur ex Rubrica Missalis [4]. Uno tantum lumine, et quidem extra casum necessitatis, celebrare, leve est, unde et ratio devotionis excusare potest; sine ullo, censetur grave, ita ut nec gravis necessitas, puta si Viaticum sit inde ministrandum, excuset [5], nisi habeatur Apostolicum Indultum, quod interdum in locis Missionum fuit concessum [6]. - Cf. dicenda n. 35.

Lumina hæc non quidem illuminandi causa introducta sunt dicenda, ut quidam contendere conati sunt [7], cum obstet mos Iudæorum, tum etiam Christianorum, vel ab ipso Apostolico ævo, illa accendendi et plura quam necessitas fugandi tenebras exposceret, et diu, cum nulla prorsus aderat necessitas hujusmodi. E contra, mysterio non caret perantiquus ille mos, prout plures ecclesiastici scriptores atque SS. Patres clare ostenderunt, ceu Tertullianus, S. Ambrosius, S. Jo. Chrysostomus, S. Au-

1) S. R. C. 16 Junii 1663, n. 1270, ad II.
2) S. R. C. 2 Sept. 1741. n. 2365, ad I.
3) S. R. C. 12 Julii 1704 n. 2143.
4) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. XX.*
5) **S. Alphonsus** *Theol. Mor. L. VI. n. 394.*
6) Cf. S. R. C. 7 Sept. 1850, n. 2935.
7) Ita **De Vert,** de quo vide **Pighi**. *Lit. Sacramentor. et Sacramental. n. 10* (edit. 3).

gustinus et S. Hieronymus, qui in lumine lætitiam, fidem, charitatem nostram, vel lucem quæ a Christo in nostras mentes derivat ut nos dirigat in viam salutis, recognoscunt.

34. Cum dicat Rubrica duo *saltem* lumina esse accendenda, plura etiam accendi posse deducitur, quod tamen non ultra rationem convenientiæ et mentem Ecclesiæ est intelligendum. Porro plures duabus candelæ accendi possunt in Missis sive solemnibus, sive cantatis, etiam de *Requiem* [1], et quidem sex in illis, in his saltem quatuor; item in Missis privatis, quæ diebus solemnioribus parochiales aut similes sunt, vel quæ loco solemnis, aut cantatæ, occasione realis et usitatæ celebritatis, dicuntur [2]. Unde sola objectiva solemnitas attenditur, quæ haberi potest sive in solemnitate Officii, sive in speciali devotione publica, quæ fovetur in determinatis exercitiis menstrius. vel hebdomadalibus, etc. Id certe est cavendum, ne candelarum numerus augeatur aut ex cultu superstitioso, aut ratione dignitatis personæ celebrantis, quæ sit v. g. Canonicus, Vicarius Generalis, Protonotarius Apostolicus, vel alius quicumque, etiam ex usum pontificalium habentibus, qui sit Episcopo inferior [3]. Episcopus autem, propter plenitudinem Sacerdotii qua pollet, quatuor candelas, dum privatim celebrat, habere

1) S. R. C. 25 Sept. 1875, n. 3377, ad I; 12 Aug. 1854, n. 3029, ad VII.

2) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3059, ad IX.; 6 Febr. 1858, n. 3065. Quamdam solemnitatem inesse Missæ quæ legitur pro sponsis, vel primo a neo Sacerdote, censemus.

3) S. R. C. 7 Aug. 1627, n. 441; 5 Julii 1631, n. 567; 19 Julii 1659, n. 1125; 22 Mart. 1710, n. 2201, ad III; Decr. Gener. 27 Sept. 1659, n. 1131 art. 21.

permittitur, quamvis deceat id solemnioribus tantum diebus fieri [1].

35. Candelas ex cera apum esse præcipitur [2], exclusa quavis alia materia, sive sevo, sive stearina, sive oleo vel petroleo [3], quæ nonnisi Apostolico Indulto permittuntur, et etiam forte, deficientibus cereis, si urgeat necessitas celebrandi, v. g. ut detur Viaticum muribundo, aut populus debeat audire Sacrum de præcepto, modo absit scandalum, non vero ad solam devotionem [4]. Item cera candelarum alba sit oportet, non picta coloribus, qua tantum R. Pontifex in Missis Pontificalibus utitur [5]; sed in Missis de *Requîem* etiam flava, seu nondum purgata uti licet. Toleratur quoque usus cereorum fictorum, ex metallo, vel etiam ex ligno, in quibus machina quadam introducitur cereus [6].

Quoad mensuram candelarum nihil positive decernitur, at curandum ne tam exiguæ adhibeantur ut dedeceant gravitatem cultus et majestatem Dei qui colitur et cui offertur Sacrificium.

36. Candelabra sunt collocanda ab utroque Crucis latere, vel super mensam, vel super Altaris gradus, non vero extra Altare, neque sufficiunt si infixa sunt hinc inde parieti Altare fere tangenti [7].

Lumen, etiam ex alia materia quam cera, adhibere pro usu Celebrantis, modo candelabrum non

1) *Cærem. Episc. L. I. c. XXIX. n. 4.*
2) *Miss. Rom. De defect. occurr. etc. Tit. X. n. 1.*
3) S. R. C. 16 Sept. 1843, n. 2865; 7 Sept. 1850, n. 2985; 10 Dec. 1857, n. 3063.
4) **S. Alphonsus**. *Theol. Mor. L. VI. n. 394.*
5) **Martinucci.** *Manuale SS. Cærem.*
6) S. R. C. 11 Maji 1878, n. 3448, ad XIII.
7) S. R. C. 16 Sept. 1865, n. 3137, ad I; 5 Dec. 1891, n. 3759, ad II.

præseferat palmatoriæ episcopalis (vulgo *bugia*) formam, conceditur [1].

Rubrica Missalis ait parandum esse cereum a parte Epistolæ accendendum ad elevationem Sacramenti et extinguendum post Communionem [2]. Attamen interrogata S. R. Congregatio: « Utrum consuetudo servari possit non accendendi tertium cereum in Missis lectis a consecratione ad consummationem? » respondit: « Affirmative [3]. » Sed in Missa solemni duo saltem intorticia accendenda sunt ad finem Præfationis, extinguenda post elevationem Calicis, imo post Communionem, si aliqui sunt communicandi, vel diebus jejuniorum, aut in Missa de *Requiem* [4].

37. Demum in Missæ celebratione requiritur tabella secretarum in medio, ad pedem Crucis collocanda [5], cui ex usu aliæ duæ laterales addi possunt, cum psalmo *Lavabo* et initio Evangelii S. Joannis. Item cussinus, vel legile velo coopertum coloris paramentorum, aut etiam affabre elaboratum, pro sustinendo Missali. Parentur ampullæ cum vino et aqua, quæ sint vitreæ, ob majorem munditiem, vel ex auro, argento [6], imo et stamno, non vero ex ære vel ferro, propter æruginem, et dummodo signo aliquo facile una ab alia discernatur. Pelvis

1) S. R. C. Decr. Gener. 31 Maji 1817. n. 2579; 11 Dec. 1885, n. 3647, ad IV. et V.

2) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. XX.*

3) S. R. C. 9 Junii 1899, n. 4029, ad II.

4) *Miss. Rom. Ritus celebr. Miss. Tit. VIII. n. 8.*

5) Nonnisi ex Indulto Apostolico licet inferioribus Episcopo uti Canone, seu libro qui Ordinem Missæ continet et ante oculos Celebrantis, super mensam erectus, collocatur. S. R. C. 11 Dec. 1885, n. 3647, ad IV. et V.

6) S. R. C. 28 Apr. 1866, n. 3149.

tamen, ad aquam recipiendam, ex quavis materia esse potest.

Pannulus mundus ex lino, vel alia materia, habeatur, et campanula pulsanda, etiam in Missa quæ celebratur in privatis Oratoriis, ubi solus adest minister præter Sacerdotem [1], excepto casu quo in Ecclesia solemne aliquod officium aut processio peragatur, vel expositum sit Ss. Sacramentum pro adoratione XL Horarum [2]. Et si ex errore campanula pulsetur, dum fit pia supplicatio, seu processio, omnes ante Altare transeuntes, ubi fit elevatio Ss. Sacramenti, bini et bini unicum genu flectant, et piam supplicationem prosequantur [3].

CAPUT III.

De Vestibus Sacris.

38. Tempore Apostolico, vestibus non quidem forma diversis ab illis quæ erant quotidiani et civilis usus, laicis quoque communes, sed tamen nitidioribus, utpote usui sacro reservatis, divina mysteria celebrantes induebantur. Eædem vestes Clericorum propriæ factæ sunt ex quo laici alias diversæ formæ usurparunt [4]. Vestes huiusmodi, prout nunc adhibentur, sunt: amictus, alba, cingulum,

1) S. R. C. 18 Julii 1885, n. 3638, ad III. Usus cujusdam cymbali, ab hasta semipendentis, quod ab inserviente percutitur, loco pulsandi campanulam, non est conveniens. S. R. C. 10 Sept. 1898, n. 4000, ad III.

2) S. R. C. 11 Maji 1878, n. 3448, ad II.

3) S. R. C. 21 Nov. 1893, n. 3814, ad II.

4) **Benedictus XIV**. *De S. Missæ Sacrif. L. I. - c. VII. - n. 1 seqq.* **Lapini**. *Istituz. Liturg. Lez. XXIX.*

manipulus, stola, planeta. Tres priores sub generico nomine linteaminum veniunt, aliæ tres sub nomine paramentorum.

39. *Amictus*, ab *amicire*, seu *cooperire*, est primum indumentum quo caput, dein collum statim obtegitur, vel quod initio Missæ, uti mos est apud Religiosos mendicantes, e collo super humeros demittitur. Nonnisi ex lino vel cannabe dealbato permittitur, [1] cum textili ornato ejusdem materiæ vel saltem coloris et cruce in medio acu picta a Sacerdote deosculanda, atque chordulis quibus corpori circumductis firmatur [2].

Alba, seu *camisile* est vestis a collo ad pedes defluens, quam Romano utentes ritu supra amictum induunt [3]. Et hæc lintea vel ex cannabe dealbato sit oportet [4], et partes extremæ, ad collum, pedes atque manus, adjectis ornari possunt operibus acu pictis vel transforatis, quibus supponi permittitur fundus niger vel etiam coloratus [5]. Hoc textile, quum ad ornatum solummodo spectet, nisi tamen, quod non decet, majorem albæ partem constituat, non necessario ex eadem materia ac alba esse debet, sed etiam ex gossipio, serico, etc. fieri posse censendum est [6]. Quod vittæ sericæ, persæpe

1) S. R. C. Decr. Gener. 15 Maji. 1819, n. 2600. Neque tela, lino et gossipio composita, quam *Mussolo* vocant, neque alia vulgo *Nipis*, uti licet. S. R. C. 15 Martii 1664, n. 1287; 13 Aug. 1895, n. 3868.

2) Chordulas quoque debere esse ex lino vel cannabe ait **De Amicis**. *Il Parroco provveduto, pag. 63*, at id præcipi minime putamus, cum ad rei substantiam non pertineant.

3) Ambrosiani superimponunt amictum albæ.

4) S. R. C. Dec. Gener- 15 Maji 1819, n. 2600.

5(S. R. C. 12 Julii 1892, n. 3780, ad V; 24 Nov. 1899, n. 4048, ad VII.

6) **Fumagalli**. *Manuale etc. P. II. v. Alba, adnot.*

coloratæ et acu pictæ, applicentur parti superiori, a more liturgico alienum est [1].

Cingulum est funiculus quo alba, ne inconcinne defluat, ad lumbos cingitur et coaptatur. Congruit illud esse linteum album [2], sed permittitur etiam laneum vel sericum et coloris paramentorum [3]. Consuetudinem autem utendi cingulo ad instar fasciæ tolerari posse, ubi viget, donec cingula hujusmodi hucusque adhibita consumentur, nuper declaratum fuit [4].

Manipulus locum tenet antiquæ mappulæ, seu sudarioli, quod ab omnibus publicum gerentibus officium, sudoris tergendi causa, manu sinistra tenebatur. Ejusdem materiæ esse debet ac planeta, tribus ornatus crucibus atque præditus vittis, quibus brachio sinistro circumligatur.

Stola est ad instar fasciæ, quam Sacerdos collo imponit, ita ut ante pectus hinc inde pendeat. Ipsa est signum ordinis et officii, non vero jurisdictionis [5]. Quoad materiam idem dicatur ac de manipulo et planeta, et tres ipsa quoque cruces referre debet. Presbyter celebraturus illam ita sibi imponit ut, dextera extremitate super sinistram ducta, ante pectus in formam crucis cingulo firmatam teneat; Episcopus vero solutam hinc inde defert, ratione Crucis pectoralis, quæ super albam ante pectus ipsius pendet.

1) **De Amicis.** *Il Parroco provveduto, pag. 61, n 2.*
2) S. R. C. 22 Januar. 1701, n. 2067, ad VII.
3) S. R. C. 23 Dec. 1862, n. 3118; 8 Junii 1709, n. 2194, ad III.
4) S. R. C. 24 Nov. 1899, n. 4048, ad VI.
5) Cf. *Suffragium in Collect. Auth. Decret. S. R. C. Vol. IV. pag. 182.*

Planeta, seu *casula*, olim totum circumambiebat corpus, a lateribus super brachia plicanda tempore Sacrificii [1]. Dein resecari et abbreviari cœpit, et serius ad præsentem redigi formam. Mos quidem est apud Italos planetæ ornatus ita componere ut crucis formam exhibeant in parte anteriori; alibi, vel in posteriori, vel in utraque parte.

Quæres: Quanta sit obligatio sacras induendi vestes ad celebrandam Missam? Resp.: Sine ulla veste sacra celebrare nulli licet, nisi forte agatur de morte vitanda et celebratio omitti non possit. Grave est omittere, extra gravissimam necessitatem, albam, vel casulam, et extra necessitatem gravem, stolam, vel manipulum. Leve est omittere amictum, vel cingulum [2].

40. Sacra paramenta debent esse serica, exclusa quavis alia materia, seu lino, gossypio, lana, non obstante Ecclesiæ paupertate vel contraria consuetudine. [3]. Ob pretiositatem permittuntur paramenta auro contexta vel argento, non vero filamentis vitreis, quæ auri vel argenti similitudinem referunt [4]. Item, attenta Ecclesiarum paupertate, tolerari potest illud panni genus, quod ex parte superiori et oculis intuentium apparente ex filo serico integre contegitur, habet tamen operis textilis fulcimentum ex

1) Ritus Orientales hujus formæ vestes adhuc servant.

2) Cf. **D'Annibale**. *Summula Th. Mor. P. III. n. 401.* Alii tamen ponunt manipulum inter res minores, quarum omissio levis est. Cf. **De Herdt**. *S. Lit. Praxis. T. I. n. 164.* Gravissima necessitas est periculum propriæ vel alterius vitæ; gravis est si Viaticum sit deferendum, vel præceptum urgeat audiendi Missam. Loco stolæ deficientis posset manipulus, si longior sit, adhiberi.

3) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 2769, ad V.; 23 Junii 1892, n. 3779, ad I.

4) S. R. C. 28 Apr. 1866, n. 3145; 11 Sept. 1847 n. 2949.

gossypio, lana, vel lino [1]. Pariter textum quoddam a Josepho Pasqualis, Diœceseos Cenetensis, confectum e serico et mori fibris, vulgo *gelsolino* nuncupatum, sacris paramentis conficiendis adhiberi posse declaratum fuit, dummodo textum non immutetur [2]. Tolerantur etiam paramenta ex panno serico, frondibus floribusque vel imaginibus ornata partim acu pictis, partim vero coloribus ope penicilli [3]. Nihil etiam prohibet quominus stemmata gentilitia apponantur sacris suppellectilibus [4].

41. Quod spectat colores paramentorum, quinque hi numerantur in Rubricis Missalis [5], scilicet: albus rubeus, viridis, violaceus et niger. In eodem Titulo indicantur dies et Missæ, in quibus varii colores adhibentur. Explicite prohibetur color cœruleus, flavus et aureus [6], si paramenta serica sunt; at si ex auro revera sint contexta, tolerantur, ut jam diximus (n. 40), ob suam pretiositatem, at pro triplici tantum colore, nempe albo, rubeo et viridi; item et argentea pro albo colore [7]. Verum inepta habentur quæ ita pluribus coloribus, vel floribus varii

1) S. R. C. 23 Martii 1882, n. 3543.
2) S. R. C. 21 Apr. 1893 n. 3796.
3) S. R. C. 2 Junii 1883, n. 3576, ad XV.; 30 Martii 1885, n. 3628, ex quo resp. etiam constat permitti aliquam imaginem oleo pingi super telam lineam vel ex gossypio, quæ inde sericæ vel aureæ telæ paramentorum applicatur.
4) S. R. C. 7 Dec. 1844 n. 2875.
5) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. XVIII., n. 1.*
6). S. R. C. 16 Martii 1833, n. 2704, ad IV.; 23 Sept. 1837, n. 2769, ad V.; 26 Martii 1859, n. 3082; 29 Martii 1851, n. 2986, ad V.
7) S. R. C. 28 Apr. 1866, n. 3145; 5 Dec. 1868, n. 3191, ad IV.; 20 Nov. 1885, n. 3646, ad II. et III.

coloris sunt obducta, ut color præcipuus vix dignosci queat [1].

Ad ornatus tamen hæc non referuntur, qui ideo vel aurei, vel ex diverso esse colore minime prohibentur, dummodo, ut ait Martinucci, caveatur ne paramentis nigris intextæ sint cruces albæ (præter præscriptas), calvæ mortuorum cum ossibus, rami lauri, aut olivæ, aut cupressus, neque alia signa funerea, sive acu picta, sive texta [2].

Quæres: Num Rubrica colorem paramentorum statuens sit præceptiva? Resp.: Affirmative, tum ex tenore Rubricæ dicentis: « paramenta... *debent* esse coloris convenientis Officio et Missæ diei »; tum ex declarationibus S. Congregationis, quæ Rubricam strictim esse servandam passim dicunt; tum ex auctoritate plurium Moralistarum et Liturgicorum [3].

At, remoto scandalo [4], nonnisi sub levi urget lex, ita ut excuset justa causa, v. g. si plures Sacerdotes celebraturi præsto non habeant paramenta coloris convenientis Officio diei, quamvis ex devotione tantum celebrare velint [5]. Generatim, color *albus* adhibetur in Missis Domini, B. Mariæ V., Angelorum, Confessorum et Virginum; *rubeus* in Missis Spiritus S., S. Crucis et Instrumentorum Passionis, atque Martyrum; *viridis* in Missis domi-

1) S. R. C. 19 Dec. 1829, n. 2675; 12 Nov. 1831, n. 2682, ad L.; 23 Sept. 1837, n. 2769, ad V.

2) **Martinucci.** *Manuale Liturg. C. X. l. 2. n. 5.* - Cf. *Cæremon. Episcopor. L. II. c. XI. n. 1.*

3) S. R. C. 19 Dec. 1829, n. 2675; 12 Nov. 1831, n. 2682, ad L. - Cf. **S. Alphonsus.** *Theol. Mor. L. VI. n. 378.* **De Herdt.** *S. Lit. Praxis. T. I. n. 155; Ephem. Liturg.* an. 1897, pag. 582.

4) Scandalum certo est si v. g. color niger adhibeatur die Paschæ.

5) **S. Alphonsus.** *Theol. Mor. L. VI. n. 378.*

nicalibus et ferialibus ab Octava Epiphaniæ ad Septuagesimam et ab Octava Pentecostes ad Adventum; *violaceus* in festo SS. Innocentium extra diem dominicum occurrente, in Missis dominicalibus et ferialibus Adventus et a Septuagesima ad finem Quadragesimæ, necnon diebus jejunii et in Missis pœnitentiæ [1]; *niger* in feria VI. in Parasceve et in Missis de *Requiem*, in quibus color violaceus nequit amplius, ut olim, nigrum supplere, nisi casu quo die II. (vel III.) Novembris, qua agitur commemoratio omnium fidelium defunctorum, Ss. Eucharistiæ Sacramentum sit expositum pro adoratione XL. Horarum [2]. Color *rosaceus*, qui in Missa etiam privata adhiberi potest, loco violacei, in Dominicis *Gaudete*, seu III. Adventus, et *Lætare*, seu IV. Quadragesimæ, quippe qui est usus facultativi, non solet inter præscriptos colores adnumerari.

42. Paramenta et linteamina de præcepto, et quidem sub gravi, sunt benedicenda, juxta formam quæ exstat tum in Rituali, tum in Missali, tum in Pontificali, ab Episcopo, vel Sacerdote ab ipso delegato, juxta facultates sibi a S. Sede concessas [3]; neque solo usu res illas benedici declaratum fuit [4].

Porro benedictionem amittunt si ita usu trita sunt ut non amplius decenter inservire queant, vel si formam sub qua benedicta sunt, etiam unico instanti, substantialiter deperdunt, vel si nova pars, quæ est major, adjicitur. Nullatenus vero bene-

1) Qæstio erat num in Missa Vigiliæ Immaculatæ Conceptionis B. M. V. color albus anne violaceus esset adhibendus. S. R. C. 12 Sept. 1901 respondit violaceum colorem esse adhibendum. *Acta S. Sedis. Vol. XXXIV. pag. 315.*

2) S. R. C. *Decr. Gener.* 27 Junii 1868, n. 3177.

3) Cf. **Pighi**. *Lit. Sacramentor. et Sacramental. n. 211 seqq.* (edit. III), ubi fuse hac de re.

4) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3162, ad VII.

dictionem amittunt per solum profanum usum, quamvis illicitum [1]. Grave autem est, seclusa gravi necessitate, ea non benedicta adhibere, quæ etiam omittere letali non caret (cf. n. 39); secus est leve [2]. Attamen, data gravi causa, consultius est uti non benedictis, quam nullis uti, ne sit scandalum.

Cuique etiam licet sacra indumenta hucusque recensita tangere, sine speciali licentia. Verum ea alienare nefas est, nisi ex justa causa et ad usus sacros; et quæ inepta evadunt non sunt convertenda in usus profanos, sed penitus destruenda [3].

CAPUT IV.

De Calice, Patena, horumque accessoriis.

43. Usus Calicis, ad vini species continendas in eoque consecrandas, aperte comprobatur vigens jam ab ætate Christi Domini, qui in ultima Cœna, suis cum discipulis habita, « accipiens Calicem, gratias egit: et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes [4]. » Constat autem Calices vitreos ab initio

1) Cf. **Al. A. Carpo.** *Comp. Biblioth. Liturg. P. I. n. 246.*
2) Cf. **D'Annibale.** *Summula Th. Mor. P. III. n. 401.*
3) Circa modum mundandi a sordibus et conservandi sacra indumenta, cf. **Fumagalli.** *Manuale etc. L. II. v. Paramenta, n. 14.* - **Mach.** *Tesoro del Sacerdote Tr. X. c. 1.* - **Sanna Solaro.** *Acquisto, conservazione, ristauro degli Arredi Sacri.* Qui si consulantur, facile vitatur periculum indumenta, sæpe pretiosa, deteriorandi vel majoribus sumptibus reficiendi.
4) *Matth. VI. 27* - Cf. *Ep. I. ad Corinth. X. 16.* Hinc Feria V. in Cœna Domini, dicta fuit a veteribus SS. Patribus « Natalis Calicis ». Cf. **Benedictus XIV.** *De S. Miss. Sacrif. L. I. c. IV. n. 3.*

fuisse, vel ligneos, sed non defuisse aureos et argenteos, imo et gemmis ornatos, præsertim post restitutam Ecclesiæ pacem.

Impræsentiarum tamen debet Calix, vel saltem ejus cuppa, esse ex auro, vel argento, vel etiam ex stamno, sed intus inaurata [1]; et expresse prohibentur Calices ex ligno, vitro, ære, aurichalco et cupro, idque propter porositatem, vel fragilitatem, vel vilitatem, vel æruginem.

Cl. Fumagalli, in suo Manuali (Lib. II. v. Calices) refert, præmisso consultoris voto, S. R. Congregationis Decretum, in Molin. 6 Dec. 1866, circa Calices ex ære alluminii confectos, quos determinatis sub conditionibus permitti posse declarat. At hujusmodi Decretum in novissima Collectione Authentica minime invenitur, quare licet illius valorem abnuere.

Verum materia quæ cuppæ conficiendæ minime permittitur, inservire potest, dummodo sit decens et solida, pro pede, seu basi Calicis. Inauratio autem Calicis, qui aureus non sit, certe præcipitur; num sub gravi, an sub levi, incertum est.

44. Itidem *Patena*, a *patere*, quia late patens, dicta, cujus usus est perantiquus, ex eadem materia ác cuppa Calicis esse debet et, nisi sit aurea, in parte concava inaurata. Non desunt tamen qui putant etiam ex ære illam confici posse, eo quod eadem materia Pyxidi conficiendæ permissa fuit [2]; et forte non abs re, cum ratio prohibitionis, quæ excludit prædictam materiam pro Calice, in quo

1) *Miss. Rom. Ritus serv. in celebr. Miss. Tit. I. n. 1.*; *De defect. in celebr. Miss. occurr. Tit. X. n. 1. et Can.* « *Ut Calix* » *de Consecr. dist. 1.* S. R. C. 16 Sept. 1865. n. 3136, ad IV.
2) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3162, ad VI.

species liquidæ continentur, haud verificetur quoad Patenam [1].

45. Sacra hæc vasa sunt de præcepto et sub gravi consecranda ab Episcopo, vel a Sacerdote delegato a S. Sede, cum S. Chrismate et juxta formam Pontificalis; neque solus usus vices supplet consecrationis.

Consecratio vero Calicis amittitur per foramen in ima cuppa, per separationem cuppæ a pede, non quidem si tornatilis illa est, sed si per fractionem contingat; unde censemus Calicem execrari si cuppa tornatilis quidem est, sed ab ipsa vitis ferrea per fractionem disjungitur, qua basi firmatur. Porro extra hunc casum, cuppa consecrata potest ab una ad aliam basim transferri, salva consecratione. Sive Calix, sive Patena amittunt consecrationem per novam inaurationem [2]; at deauratione absumta neutrum execratur [3], urget tamen præceptum denuo inaurandi et consequenter reconsecrandi.

Quæres: Cuinam liceat tangere vasa sacra? Resp: Si continent sacras species, soli Sacerdoti vel Diacono licet; secus, in Altaris ministerio, Subdiacono, vel Clerico ejus vices gerenti; extra illud ministerium, Acolytho, dum necessaria pro Missa parare debet, imo, ex usu, cuique tonsurato, et, ex privilegio, sacristis laicis regularibus, etiam feminis. Cæteris de licentia Episcopi; sed his leve est, extra necessitatem, tangere sine licentia [4].

1) Cf. *Ephem. Liturg.* an. 1890, p. 153.
2) S. R. C. 14 Junii 1845, n. 2889.
3) **S. Alphonsus.** *Theol. Mor. L. VI. n. 370.*
4) **Del Vecchio** ad Scavini. *Vol. IV. n. 409.* At ex usu nunc fere generali laici quoque, qui Sacristiis inserviunt, sine speciali licentia videntur posse vasa sacra tangere. Cf. *Il Monit. Eccl. Ser. II. Vol. I. p. 40.*

46. Accessoria Calicis et Patenæ sunt corporale cum palla, velum et bursa atque purificatorium.

Corporale et *palla* ex lino, vel cannabe tantum permittuntur [1], amylo oblinito, quo major consistentia datur. Textile pinnatum circumduci potest, at in corporali omne opus excludendum est, nisi forte in anteriori parte, ubi crux acu pingi non prohibetur; e contra, permittitur palla a superiori parte panno serico, aut ex auro vel argento et acu depicto, cooperta, dummodo pars linea subnexa Calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris, nec referat aliqua mortis signa [2]. Corporale et palla de præcepto sunt benedicenda ab habente facultatem in paramenta (cf. n. 42).

Velum et *bursa* sint oportet ejusdem materiæ et coloris ac paramenta, et cum his *congruenter* benedicuntur.

Purificatorium, quo Calix abstergitur, ex lino sit, at benedici nec debet, nec potest [3].

« Celebrare sine palla, vel purificatorio est leve; sine corporali, nisi ex causa gravi, sine Calice, vel Patena, nisi ex gravissima, letale est [4] ». Tanto nimus urget grave præceptum celebrandi cum velo et bursa, dummodo ne sit scandalum. At deficiente palla, pro ea posset adhiberi aliud corporale plicatum, imo, remoto scandalo, et purificatorium vel bursa [5].

Porro corporalia, pallas, purificatoria, prima saltem vice, abluere nulli fas est, ne Monialibus

1) S. R. C. Decr. Gener. 15 Maji 1819, n. 2600.
2) S. R. C. 17 Julii 1894, n. 3832, ad IV.
3) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, ad XII.
4) Ita **D'Annibale**. *Summula Theol. Mor. P. III. n. 401.*
5) Cf. **Scavini**. *Vol. III. n. 175, nota 3,* et **Gury**. *Vol. II. n. 397.*

quidem, etiam de licentia Episcopi [1]; sed iis tantum, quibus vasa sacra licet ex officio tangere et abluere, seu constitutis in sacris [2].

CAPUT V.

De Ministro in Celebratione Missæ

47. Nomine ministri venire hic potest tum ille qui Missam celebrat, tum ille qui huic administrat, seu inserviens. De utroque dicimus.

Minister Sacrificii Missæ duplex est, alter primarius et invisibilis, alter secundarius et visibilis. Ille est Christus « Sacerdos in æternum », qui « sempiternum habet Sacerdotium [3] », « idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit [4]. » Dein sunt Sacerdotes, qui potestate sacri Ordinis in se per Apostolos derivata, Christi ipsius personam gerunt, et in Ejus commemorationem vere et realiter offerunt et sacrificant Corpus et Sanguinem ipsius [5].

Frustra igitur Sacrificium invenire datum est penes illos, qui a catholica fide desciverunt et, ob mutatam substantialiter sacræ Ordinationis formam,

1) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3059, ad XXVI.

2) Cf. *Pontific. Rom. De Ordinat. Subdiac.* Quod et Clericis tantum tonsuratis liceat probabile est, imo, si justa subsit causa, etiam laicis. Aqua tamen ablutionis necessario in sacrarium est projicienda. Cf. **S. Alphonsus**. *Theol. Mor. L. VI. n. 387.*

3) *Epist. ad Hebr. VII. 17, 24.*

4) *Conc. Trid. Sess. XXII. cap. II.*

5) Cf. inter Theologos cl. **Hurter**. *Theol. Dogm. Comp. Tom. III. Thes. CCXXXVII.*

Sacerdotalem potestatem minime accipiunt [1], vel, etsi rite ordinati, intentionem faciendi saltem quod Christus fecit et fieri voluit non habent; deest enim unio ministri secundarii cum primario, a quo et ille totam vim haurit quæ propria est sacrificantis. Sacerdos autem, qui nihil præterit ex iis, quæ divini sunt juris (cf. n. 9), semper validum Sacrificium offert, etsi hæreticus factus, excommunicatus, interdictus, suspensus etc. quamvis possit et graviter peccare.

48. « Sacerdos celebraturus Missam, prævia confessione sacramentali, quando opus est, et saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet, et orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. » Hæc Rubrica Missalis [2], qua duplex innuitur præparatio Missæ præmittenda, nempe remota, quæ est in statu gratiæ, cui jejunium naturale a media nocte, quacumque celebretur hora, addendum est [3], et proxima, quæ consistit in piis animi sensibus atque precibus recitandis.

Ad Missam igitur celebrandam requiritur in primis status gratiæ et quidem acquisitus per sacramentalem confessionem, a qua, cum ea opus

1) Hoc definiti juris nunc est quoad SS. Ordinationes in Ecclesia Anglicana peractas, postquam novus plane ritus, sub rege Eduardo VI., fuit publice inductus. Cf. **Leo XIII.** Litt. Apost. « *Apostolicæ curæ* » 13 Sept. 1896.

2) *Miss. Rom. Ritus serv. in celebr. Missæ. Tit. I. n. 1.*

3) De jejunii lege agunt Moralistæ, qui etiam tradunt ab ea excusari Celebrantem si, cœpta jam Missa, recordetur se non esse jejunum; imo et illa nondum cœpta, si populus ad eam audiendam convenerit, nec ipse possit sine obmurmurationibus eam omittere. Num ad moribundum communicandum, valde dubitatur. Cf. **D'Annibale.** *Summula Th. Mor. P. III. n. 411.*

est, nullus eximitur, si copia non deest Confessarii et urgeat necessitas celebrandi, prout Moralistæ, hac de re agentes, tradunt. Insuper Matutinum cum Laudibus absolutum sit oportet.

Quæres : Num recitatio Matutini cum Laudibus ante Missam vere præcipiatur ? Resp. : Probabilius negative; certo rationabilis quævis causa excusabit [1].

Quod orationi prius vacare debeat Sacerdos celebraturus, id ex rei natura quoque pendet ; sanctissimo enim et divino actui ponendo, ea qua par est devotione et pietate, precibus ad Deum effusis, animus disponitur et mens tota figitur in contemplatione altissimi mysterii. Quod vero preces illæ recitentur, quæ in ipso Missali, post Rubricas, leguntur, quamvis conveniens sit, præceptum tamen dici nequit, ad directionem enim tantum et pro Sacerdotis *opportunitate* sunt positæ. Quatenus autem recitentur, attendendum est ad hoc quæsitum : « Num antiphonæ *Ne reminiscaris* et *Trium puerorum* quæ privatim a Sacerdote recitantur ante et post Missam, duplicandæ sunt vel non, juxta ritum Missæ quam celebrat. » S. R. Congregatio respondit : « Ad libitum in casu, juxta ritum Officii vel Missæ [2]. »

49. Prosequitur Rubrica Missalis : « Deinde accedit ad locum in sacristia, vel alibi præparatum; ubi paramenta aliaque ad celebrationem necessaria habentur. » In sacristia igitur, vel alio in loco ad id præparato, Sacerdos debet sumere sacras vestes, non vero ab Altari, quod solis Episcopis privatim etiam celebrantibus, atque omnibus pontificalium usum habentibus, quando hi pontificaliter Sacrum

1) Cf. **Gury**. *Theol. Mor. Vol. II. n. 63 seq.* et **Ballerini**. *Op. Theol. Mor. Tract. IX. c. II. n. 238.* Cf. etiam dicta n. 5.
2) S. R. C. 27 Januar. 1899, n. 4011, ad II.

faciunt, conceditur, quod innumeris S. R. Congregationis responsis firmatur [1]. In casu vero necessitatis, vestes sacræ ponantur super separatam mensam prope Altare, vel, si hæc mensa haberi non potest, super ipsum Altare, in cornu Evangelii, non in medio, more Episcoporum [2].

Quod autem debeat ipse Sacerdos, ut innuit citata Rubrica, Missam in Missali perquirere, perlegere et signare, item præparare Calicem, id ad ordinem ponitur; hæc enim solent fieri ab inservientibus Sacristiæ. Neque contrarium deducendum est, prout cl. Fumagalli deducit, ex responso S. R. Congregationis ab eodem Auctore citato, quippe quod præparationem respicit Calicis, quæ fit super Altari in ipsa Missa privata, quæque revera a Celebrante est facienda [3].

Quod sine Missali et memoriter Missa celebretur, tamquam defectus notatur in Rubricis [4], et interdicitur inservienti aperire librum super Altare positum et invenire Missam [5].

50. Veste talari indutum esse oportet Celebraturum et calceatum. Manus etiam lavare debet, dicens Orationem convenientem. Omittere hanc lotionem certo est grave, si manus sint valde immundæ [6]; secus, leve non excedit et forte nullum

1) S. R. C. 9 Maji 1857, n. 3052, ad I; ibi alia citantur responsa.

2) **De Herdt.** *S. Lit. Praxis. T. I. n. 194.*

3) **Fumagalli.** *Manuale etc. L. II. v. Minister etc. n. 11, adnot.* - S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572 ad VI.

4) *Miss. Rom. De defect. in celebr. Missæ occurr. Tit. X. n. 1.* At quoad peccatum controvertitur. Cf. **S. Alphonsus.** *Theol. Mor. L. VI. n. 390.*

5) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572 ad V.

6) **S. Alphonsus.** *Theol. Mor. L. VI. n. 409*; ibi etiam dicitur nullum esse peccatum omittere lotionem post Missam.

est peccatum, cum in tali casu ceu directiva habeatur Rubrica.

Præmisso, si vult, Crucis signo, Sacerdos sacras assumit vestes et induit, Orationes ad singulas recitans, idque, ex communi sententia, non sub gravi[1], et osculans crucem positam in medio amictus, manipuli et stolæ, etsi Missam de *Requiem* sit celebraturus, cum Rubricæ minime hac in re distinguant.

Birreto caput cooperiendum est, vel amictu ab illis qui hoc adhuc ritu perantiquo utuntur, ceu quidam Religiosi (cf. n. 39); non vero ficto cappillitio (*parrucca*) vel pileolo (*callotta*), quæ nonnisi ex Apostolica venia in Missæ celebratione possunt retineri[2].

Calicem ipse Sacerdos celebrans debet suis manibus ferre[3], et nihil super ipum collocare oportet, nec manutergium[4], nec Reliquias aut vasa sacra, neque perspicillos, neque birretum cum, ob expositum in Ecclesia Ss. Sacramentum, debet caput discooperire. Annulum quoque, siquidem ipsius deferendi jus habeat, detrahere et deponere debet, non obstante quacumque consuetudine[5].

« An Sacerdos pergens ad celebrandum et Calicem manu sinistra portans, possit ad januam Sacristiæ accipere aquam benedictam, eaque se signare? » S. R. Congregatio respondit: « Si

1) **S. Alphonsus**. *Theol. Mor. L. VI. n. 410.* Cf. dicta n. 5.
2) S. R. C. 4 Apr. 1699. n. 2027, ad V.; 12 Apr. 1704, n. 2130, ad II.
3) S. R. C. 20 Sept. 1681, n. 1681, ad V.
4) S. R. C. 1 Sept. 1703, n. 2118.
5) S. R. C. 9 Martii 1894, n. 3821. « Linteum aut sudarium, quo sibi usui fore putet, sub Planetam ponere liceat, Cingulo obfirmatum, ita ut non appareat: sit autem mundum; decet et esse albi coloris. » Ita cl. **Fumagalli**. *Manuale etc. L. I. c. I. n. 11 adnot.*

commode fieri potest, se signet; sin minus, se abstineat » [1].

51. Ministrum inservientem exigit Rubrica Missalis et quidem veste talari ac superpelliceo indutum [2]. Duos adhibere ministros inservientes, plurimis responsis S. R. Congregationis interdicitur in Missis privatis, et tantummodo permittuntur, præterquam Episcopo celebranti, in Missa Parochiali vel simili, diebus solemnioribus et in iis quæ loco cantatæ et solemnis celebrantur occasione realis et usitatæ celebritatis et solemnitatis [3].

Inserviens autem Missæ privatæ etiam Canonici vel constituti in Dignitate Episcopo inferiori, neque folia Missalis vertere, neque vinum et aquam in Calice ponere, neque Calicem palla cooperire et discooperire eumque tergere et parare potest, quamvis clericus sit vel in sacris constitutus [4].

Quæres 1°: Num liceat sine ullo ministro celebrare? — Resp.: Negative, et grave est. Eruitur ex Rubricis Missalis [5], ex Jure Canonico [6] et ex ratione Sacrificii, quod, cum sit actus publicus, exigit ministrum qui populum repræsentat. Attamen Theologi conveniunt, si gravis urget necessitas,

1) S. R. C. 27 Martii 1779, n. 2514, ad IV.

2) *Miss. Rom. Ritus serv. in celebr. Missæ. Tit. II. n. 1.* Tonsuratum esse convenit. S. R. C. 23 Nov. 1602, n. 113, ad VI.

3) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3059, ad VII. At magna solemnitas ad hoc non requiritur.

4) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, ab V. et VI.; 11 Maji 1878, n. 3448, ad XIV.

5) *Miss. Rom. De defect. in celebr. Miss. occurr. Tit. X. n. 1.*

6) *Cap. VI. De Filiis Presbyt.* ubi hæc leguntur: « Non enim solus Presbyter Missarum solemnia, vel alia divina officia, potest sine ministri suffragio celebrare. »

posse Missam sine ministro celebrari [1]. Hæc necessitas gravis obtinet cum Viaticum ad moribundum est deferendum; cum obligatio urget audiendi Sacrum; cum inserviens, Missa jam incœpta, maxime si facta fuit oblatio, discedit [2]. Porro, ministro deficiente, Celebrans ipse recitabit illius responsiones, excepto *Confiteor*, quod semel dicendum est [3].

Quæres 2°: Num femina possit ministri munus obire? Resp.: Negative, et grave est. Eruitur ex Rubricis Missalis [4] et ex Iure Canonico [5]. Hinc, necessitate urgente, melius est nullo ministro, quam ministrante femina, celebrare. Dicimus *ministrante* femina, quia si agitur de muliere respondente tantum in Missa, quin ad Altare ipsa accedat, dum jam necessaria omnia præsto sunt Sacerdoti, urgente necessitate, adhiberi potest [6]. Hæc urgens necessitas non videtur exigenda tam gravis, ut quoad celebrationem ullo sine ministro vidimus, sed levis esse potest, uti v. g. ne desit Missa diebus etiam ferialibus; si Celebrans, ob suum negotium, nequit ministrum marem expectare; si est Communio distribuenda ex devotione, vel obligatio sumpta celebrandi in eo Altari, ea hora etc.; si, ut contigere

1) **S. Thomas.** *Summa. P. III. q. LXXXIII. art. V.* - **S. Alphonsus.** *Theol. Mor. L. VI. n. 391.*

2) **D'Annibale.** *Summula. P. III. n. 401.*

3) S. R. C. 4 Sept. 1875, n. 3368. ad I.

4) *Miss. Rom. De Defect. in celebr. Miss. occurr. Tit. X. n. 1.*

5) *Cap. 1. De Cohabit. Cleric. et mulier.* ubi hæc leguntur: « Prohibendum quoque est, ut nulla femina ad Altare præsumat accedere aut Presbytero ministrare ». Cf. **Benedictus XIV.** *Const. « Etsi pastoralis ».*

6) S. R. C. 27 Aug. 1836, n. 2745, ad VIII.

potest in Conservatoriis puellarum, non est præsto nisi juvenis, quem adhibere non expedit [1].

52. Qua cura inter morigeratos viros, præsertim juniores, seligendi sunt ministrantes tanto Sacrificio, qua devotione atque modestia ii debent munus istud angelicum obire, exponit cl. Fumagalli in suo Manuali [2], ubi etiam adnectit Statutum, cum Indulgentiis a s. m. Pio IX. concessis, Sodalitatis sub nomine S. Joannis Berchmans S. J. ex Ecclesiæ inservientibus.

CAPUT VI.

De materia apta ad Sacrificium.

53. Materia, quæ ad Sacrificium essentialiter requiritur, nonnisi ea esse potest quam ipse Christus Jesus determinavit atque in ejusdem Sacrificii prima institutione adhibuit, nempe panis triticeus et vinum de vite [3]. Porro panis triticeus ille intelligitur qui est confectus farina frumenti et aqua naturali, atque igne puro coctus. Si ex his unum deficiat, materia quæ sit certo valida non habetur. Vinum oportet sit liquor ex uvis maturis expressus et ad ordinariam fermentationem adductus; secus invalide consecratur. Necesse est etiam neque panem neque vinum esse corruptum; aliter materia inepta evadit. Hæc essentialia sunt.

1) **M. C. G.** *Consultazioni Mor. Can. Lit. P. III. Cons. V.;* S. R. C. 18 Martii 1899, n. 4015, ad VI.

2) **Fumagalli.** *Manuale. etc. L. II. v. Minister.* Cf. etiam **Arato.** *Il S. Sacrificio della Messa. Cap. XVI.*

3) Cf. *Catech. Conc. Trid. De Eucharistia.*

54. Accedunt alia ex præcepto vel usu servanda. Et panis quidem debet esse pro Latinis azymus, pro Græcis fermentatus; idque sub gravi, etiam ad Viaticum administrandum, præterquam dum peregre agunt, si quo loco celebrant, nulla exstat sui ritus Ecclesia [1]. Componi solet ad formam circuli, qui *Hostia* vocatur, et præsefert Imaginem Crucifixi impressam. Attamen interrogata S. R. Congregatio: « An liceat Missam celebrare, quin in sacra Hostia appareat Imago Jesu Christi Cruci affixi? » respondit: « Servetur consuetudo » [2].

Nonnisi quæ est recens potest Hostia consecrari, seu, ut commune est penes Theologos, non ante quindecim dies circiter confecta [3]; et quæ aut cœpit corrumpi, aut fracturam vel maculam habet quæ sit enormis, vel scandalum pariat, sub gravi adhiberi nequit, nisi gravis necessitas excuset. Deficiente Hostia majori, leve est minorem, seu particulam, consecrare pro Missa; unde, scandalo remoto, quævis justa causa, etiam sola devotio, excusat.

55. Vino admiscenda est aqua modicissima in ipso Calice, ex gravi præcepto [4]; illâque deficiente abstinendum est a celebratione, etsi Viaticum administrari debeat. Coloris autem vini nulla habenda est ratio, nisi ob munditiem linteaminum quæ illo maculari contingat. At vinum quod cœpit acescere, vel corrumpi, vel aliquantum acre sit, consecrari vetant Rubricæ.

1) **S. Alphonsus.** *Theol. Mor. L. VI. n. 203.*
2) S. R. C. 26 Apr. 1834, n. 2714.
3) Cf. **Scavini.** *Theol. Mor. L. III. n. 124.*
4) *Conc. Trid. sess. XXII. cap. VII.* Usus parvi cochlearis pro aqua in Calicem infundenda non est prohibitus. S. R. C. 6 Febr. 1858, n. 3064, ad IV.

C. S. Officii declaravit consecrari valide vinum expressum ex uvis passis, vel corroboratum sive infusione spiritus seu *alcool* de genimine vitis, in determinata quantitate, sive ignea musti evaporatione [1].

Sacerdotibus autem qui abstemii sunt potest concedi a S. Sede ut purificationem Calicis et digitorum, post Communionem sub utraque specie, sola adhibita aqua agant.

56. Hæc subjungimus monita ex perraro clarissimi Berengo opere deprompta [2]:

« Sacrosancti hujus Sacrificii materia, panis et vinum, omnem a Parocho curam et diligentiam postulat, ut nempe talis adhibeatur panis, qui mundus sit, tale vinum, quod non solum purum, sed etiam ex ejusmodi sit uvarum qualitate et maturitate, ut augustum mysterium non dedeceat. Sane pudet, hostiarum farinam et vinum pro Sacrificio nonnunquam infimæ qualitatis inveniri, ita ut illa non bene a furfure purgata, istud ex peioribus acinis confectum, talem efformet panem, tale vinum efficiat, quale nulla profana mensa pateretur ....

Ast, quamvis hodie ex chemices progressu etiam frumenti farina aliquando heterogeneis substantiis adulterata inveniatur, ad vini præcipue sinceritatem attendant Parochi præsertim urbani ; ne fidant non solum vinis importatis ex transmarinis et transmontanis regionibus, sed ne nostris quidem, ut dicunt, nationalibus, præsertim si proveniant ex œnologicis quibusdam societatibus, quarum quo

1) C. S. O. 10 Apr. 1889, 5 Aug. 1896, 22 Maji 1901.

2) **Berengo.** *Enchiridion Parochorum. P. III. c. I. art. I. n. 157.* In votis est ut hujus operis nova editio, necessariis inductis mutationibus, prodeat, quod certe erit maximo Ecclesiasticis, præsertim Parochis, emolumento.

maior est celebritas, eo minor plerumque solet esse sinceritas. Vinorum adulteratio nostris diebus eo omnino pervenit, ut de sinceritate vini ille solus possit esse securus, qui suis, aut saltem fiditissimorum oculis, ipsius vini confectionem, conservationem, atque ex uno in alium locum translationem videat. Olim ab aqua, nunc a chemice timendum est.

Quapropter cogitent Parochi de re maximi momenti hic agi, de validitate nempe Sacrificii et de inenarrabilibus consequentiis, quæ exinde profluunt; quas si tuto velint cavere, nihil restat, nisi ut ipsi domi suæ vinum pro Sacrificio Missæ conficiant. Verum non solum ad sinceritatem, sed et ad custodiam sedulas curas Parochi extendant oportet, ne iterum sinceritas periclitetur. Quæ custodia tum domi, tum præsertim in Sacristiis locum habere debet, ne per inservientium, aliorumve sive malitiam, sive imprudentiam, aliquid secus eveniat; nec proinde Sacerdoti sacristæ unice hæc custodia committenda videtur. »

Hisce monitis consonant nuperrimæ Litteræ S. Officii [1], quibus excitatur Ordinariorum vigilantia super confectionem materiæ ad Sacrificium aptæ et grave indicatur periculum eam adhibendi quæ a mercatoribus venalis exhibetur.

CAPUT VII.

De tempore celebrandi Missam.

57. *Tempus* heic intelligimus sive dies, sive horas, quibus celebrare licet.

Quoad dies, hi sunt vel *liturgici*, quibus Missæ

1) C. S. O. 30 Aug. 1901.

celebratio permittitur, vel *aliturgici*, quibus ea vetatur. Quidquid de vetere fuerit disciplina, quæ varia exstitit, ita ut alibi quotidie [1], alibi quibusdam tantum diebus litandi mos esset, disciplina hodierna Ecclesiæ Romanæ est quod omnes dies infra annum liturgici sunt, tribus exceptis ultimis feriis Majoris Hebdomadæ, quæ aliturgicæ sunt pro Sacerdotibus, quamvis pro Ecclesia sola feria VI. *in Parasceve* nunc ut talis habeatur. In Ecclesia vero Græca feriæ omnes Quadragesimæ, exceptis Sabbatis et die qua occurrit festum Annuntiationis B. M. V., aliturgicæ sunt, et in Ecclesiis ritus Ambrosiani, aliturgicæ pariter sunt feriæ sextæ temporis quadragesimalis.

Romanam igitur Ecclesiam quod spectat, diximus in ea pro Sacerdotibus aliturgicas esse tres ferias postremas Majoris Hebdomadæ. Hi enim Missam celebrare stricte prohibentur in eis. Attamen Feria V. *in Cœna Domini*, in memoriam institutionis Ss. Eucharistiæ, atque Sabbato Sancto, in memoriam Resurrectionis Christi Domini, Ecclesia statuit Missam unam solemniter celebrandam; quare, pro ipsa, tantum Feria VI. caret Sacrificio. Sed in eadem Feria V. Ecclesia concedit ut in Ecclesiis Parochialibus, quæ Clericis destituuntur, ita ut ne quidem juxta ritum in *Memoriali* Benedicti XIII. expositum possint functiones peragi Majoris Hebdomadæ, fas sit in populi commoditatem, ex venia quotannis ab Ordinario loci impetrata, unam Missam lectam celebrare, antequam in Cathedrali, vel Matrice Conventualis incipiat [2]. In

1) Cf. *Actor. II. 46*, et **S. Cyprianus** *Ep. LIV. ad Cornel.*
2) S. R. C. 31 Julii 1821, n. 2616 ad I.; 1 Febr. 1895, n. 3842, ad II.

aliis Ecclesiis non Parochialibus una Missa potest legi Feria V. dummodo aliæ functiones saltem ejusdem Feriæ et Feriæ VI., juxta ritum supradicti *Memorialis*, expetita ad hoc facultate, si est Clericorum defectus, peragantur [1]. Item Regulares proprie dicti, seu votorum solemnium, possunt in propria Domo unam pariter Missam lectam habere in eadem Feria V., celebrandam a Superiore, ut Communionem suis Religiosis ministret, vel in privato Oratorio, vel in Ecclesia januis clausis; quod tamen ad Seminaria, et pias alias Communitates extendi nequit, sine Apostolico Indulto [2].

Decretum autem S. R. C. 27 Martii 1733, ad IX. quod ab Auctoribus citatur, qua parte unam concedebat Missam lectam ex arbitrio Episcopi propter infirmos, a Collectione Authentica Decretorum S. R. C. expunctum fuit, quare observari nequit.

Quod si Feria V. festum aliquod occurrat de præcepto, per Ordinarios providendum est ut ea die, pro locorum qualitate et fidelium numero, plures Missæ privatæ ante solemnem, ad præcepti adimplementum non desint [3]. Sabbato Sancto autem celebratio Missarum, ea tantum excepta quæ spectat ad functiones diei, omnino prohibetur, non obstante contraria consuetudine, nisi habeatur Apostolicum Indultum, quamvis in illo occurrat festum de præcepto, quod in tali casu erit transferendum [4].

E contra in festo Nativitatis D. N. J. C. tres licet unicuique Sacerdoti celebrare Missas, sive con-

1) S. R. C. 9 Dec. 1899, n. 4049, ad I.

2) S. R. C. 31 Aug. 1839, n. 2799, ad II.; 9 Dec. 1899, n. 4049, ad. II. Cf. *Il Monit. Eccles. Ser. II. Vol II. p. 34.*

3) S. R. C. Decr. Gener. 27 Sept. 1716, n. 2240.

4) S. R. C. 10 Januar. 1693, n. 1890, ad VI.; 28 Julii 1821, n. 2616, ad III.

tinuo, sive disjunctas. Quare hæc dies dici post *politurgica*.

58. Ad horam quod attinet, ex Rubricis ea debet esse ex illis quæ currunt ab aurora ad meridiem [1]. Aurora autem intelligitur tempus quod medium est inter noctem et ortum solis, quodque proinde, pro diversis partibus anni et regionibus, variare dicendum est [2]. Attamen moraliter accipiendus est uterque terminus, ita ut liceat Missam finire non ante auroram et incipere non post meridiem. Imo leve est et, data rationabili causa, ne leve quidem, si non ultra horæ spatium anticipetur vel posticipetur celebratio. Verum ultra horæ spatium gravis causa requiritur ad licite celebrandum, ut si infirmus, alioquin sine Viatico moriturus, sit communicandus; vel etiam causa rationabilis tantum, si accedat Episcopi licentia: et ne populus die festo careat Missa, licet eam ad duas horas post meridiem differre [3]. Quidam Indultum a S. Sede petunt celebrandi ab hora ante auroram.

Sed in festo Nativitatis D. N. J. C. cuicumque fas est unam Missam solemnem, vel cantatam, celebrare media nocte; non vero antea, nec privatam Missam, vel etiam aliam solemnem, præter primam, nisi ex Indulto Apostolico, non obstante contraria consuetudine [4].

1) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. XV. n. 1.* Cf. etiam *Conc. Trid. Decr. de observ. et evit. in celebr. Missæ.*

2) In regionibus polaribus, quæ carent aurora, intelligitur moraliter de tempore quod æquivalet auroræ, hoc est de exordio diei civilis, moralis et usualis, in quo homines diluculo surgere solent ad opera juxta receptas regionum consuetudines. S. R. C. 2 Nov. 1934, n. 614.

3) Cf. **S. Alphonsus.** *Theol. Mor. L. VI. n. 341* seqq. et S. R. C. 5 Nov. 1667, n. 1361, ad II.

4) S. R. C. 20 Apr. 1641, n. 752; 18 Sept. 1781, n. 2520.

TITULUS IV.

DE NONNULLIS PARTIBUS MISSÆ

Prænotanda.

59. Non quidem integrum Missæ celebrandæ ritum exponimus, quoad hoc remittentes benignum lectorem ad alios Auctores, ceu Fumagalli, De Herdt, etc.; neque de omnibus partibus, quibus S. Sacrificium componitur, tractare proposuimus. Nonnullas tamen Sacrificii ejusdem partes attingere non prætermittimus; eas saltem quæ, utpote mutabiles, peculiaribus reguntur legibus, vel quæ speciali dignæ nota nobis videntur.

Agemus itaque : De Missæ initio ; de hymno Angelico ; de Orationibus ; de Graduali, Tractu et Sequentia; de Symbolo; de Præfatione et de Canone; de Calicis purificatione ; de Ite Missa est, de ultimo Evangelio et de precibus post Missam.

CAPUT I.

De Initio Missæ.

60. Hæc est Rubrica [1]: « Collocato Calice in Altari, accedit ad cornu Epistolæ, Missale super cussino aperit, reperit Missam, et signacula suis

1) *Miss. Rom. Ritus serv. in celebr. Missæ Tit. II. n. 4.*

locis accomodat. Deinde rediens ad medium Altaris, facta primum Cruci reverentia, vertens se ad cornu Epistolæ, descendit post infimum gradum Altaris, ut ibi faciat Confessionem. »

Ipse igitur Sacerdos qui celebrat debet aperire Missale, et hoc per ministrum inservientem fieri prohibetur [1]. Si Altaris gradus plures sunt in diversos distributi ordines, sufficit descendere infra ultimum gradum primi ordinis. Item si plures tribus sunt gradus, sufficit sub tertio tantum descendere; imo si nimis latam planitiem habeat Altare, satis est descendere a *predella*, quæ inibi in hoc casu collocari debet [2].

Exstante Ss. Sacramento in tabernaculo, imo et exposito, genuflexio fit non quidem in plano, quod tantum in primo accessu ad Altare et in recessu ab hoc præscribitur, sed, unico semper genu, super ipsum infimum gradum [3]; idemque servatur si in eodem Altari exposita sit Reliquia S. Crucis. Si Ss. Sacramentum ibi non exstat, fit profunda reverentia.

61. Psalmus *Judica* omittitur a Dominica Passionis usque ad Sabbatum Sanctum exclusive, sed tantum in Missis quæ de tempore, sive in Dominicis, sive in feriis dicuntur; item in Missis de *Requiem*; non vero in votivis de Passione, quæ infra annum celebrantur.

Recitandum est *Confiteor* pure et simpliciter, absque additione nominis alicujus Sancti etiam Pa-

1) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, ad V.

2) S. R. C. 16 Junii 1663, n. 1205, ad IV. Cf. **De Herdt.** *S. Lit. Praxis. T. I. n. 204.* **Fumagalli.** *Manuale* etc. *L. I. cap. I. n. 23.*

3) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, ad LXVII.

troni, nisi id concessum sit a S. Sede [1]. Et celebrans, ex necessitate, sine inserviente, non bis, sed semel tantum confessionem facit, prout adnotavimus n. 51.

Quid faciendum sit cum Missa celebratur coram R. Pontifice, vel summis Ecclesiæ Prælatis, clare dicit Rubrica Missalis [2].

CAPUT II.

De Hymno Angelico.

62. Hymnus, qui *Angelicus* dicitur, eo quod ejus initium cecinerunt Angeli ad præsepe, qua nocte Christus Dominus natus est, incipit verbis *Gloria in excelsis Deo,* et a Sacerdote recitatur ordinarie post *Kyrie* in medio Altaris, manibus prius apertis et elevatis ac dein ad pectus junctis.

De tempore, certe antiquissimo, quo in usu fuit hujus hymni recitatio in Missa, non inquirimus. Hoc tamen notamus, olim ab Episcopis tantum diebus festis et Dominicis, a Presbyteris solummodo in Paschate illum recitari consuevisse, prout indicatur in Sacramentario S. Gregorii. Post sæculum XI. usus invaluit, qui et nunc viget et firmatur Rubricis Missalis [3].

63. Porro, juxta Rubricas, hymnus iste generatim dicitur in Missa quæ Officio respondet, si ad hujus Matutinum dictum est *Te Deum*, excepta Missa Feriæ V. in Cœna Domini et Sabbati Sancti, in qua *Gloria in excelsis* dicitur quamvis ad Matutinum

1) S. R. C. 13 Febr. 1666, n. 1332, ad V.; 12 Jul. 1704, n. 2142.
2) *Miss. Rom. Ritus serv. in celebr. Missæ. Tit. III. n. 2.*
3) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. VIII. n. 3 et 4.*

non sit recitatum *Te Deum*, idque ob peculiaria mysteria quæ iis diebus celebrantur. In Missa vero quæ cum Officio minime concordat, seu votiva, generatim omittitur hymnus, exeptis casibus suo loco indicandis.

« Aliqui Rubricarum expositores dicunt, post signum Crucis, quod fit in fine *Gloria in excelsis*, *Credo* et *Sanctus*, manus esse jungendas, etiamsi nihil hujusmodi præscribant Rubricæ. Quæritur: Estne sequenda istorum opinio? » S. R. Congregatio respondit: « Serventur Rubricæ » [1] Atqui Rubricæ nullatenus præscribunt illam manuum conjunctionem.

CAPUT III.

De Orationibus.

64. Triplicis speciei distinguimus Orationes quæ in Missa dicuntur post Hymnum Angelicum, post *Orate fratres* et post Communionem [2]. Habentur nempe Orationes proprie dictæ, Commemorationes et Collectæ.

Orationes proprie dictæ eæ habentur quæ sunt propriæ uniuscujusque Missæ, v. g. Dominicæ, Sancti, mysterii etc. de quibus est Missa, necnon quæ sunt tali Missæ per se adnexæ, v. g. quæ secundo et tertio loco dicuntur in Missis de Dominica, de feria, de Octava etc. Hæ postremæ vocantur

1) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, ad XXIX.
2) In Missali tamen Oratio quæ dicitur post *Orate fratres* inscribitur *Secreta*; quæ dicitur post Comunionem inscribitur *Postcommunio*.

etiam *Orationes pro tempore assignatæ,* et a quibusdam *Commemorationes communes* [1].

Commemorationes non sunt per se tali Missæ adnexæ, sed respondent Commemorationibus factis in Officio, v. g. Simplicis vel Octavæ occurrentis, S. Pauli in Festo Cathedræ S. Petri etc. Quare si qua ratione hujusmodi Commemorationes omissæ fuerunt in Officio, pariter generatim omittuntur in Missa. Notandum tamen quod Commemoratio omissa in primis Vesperis, facta autem in Laudibus Officii ritus Duplicis II. classis obtinet quidem in respondente Missa privata, non vero in solemni.

Collectæ neque spectant per se ad Missam, neque ulli respondent Commemorationi in Officio, sed sunt imperatæ sive a Rubricis, sive a Superiore, vel sunt ad arbitrium Celebrantis; quare vocantur quoque *Orationes votivæ.* De singulis dicamus.

65. **Orationes**. Ritus Duplex generatim unam tantum admittit Orationem; ritus Semiduplex et Simplex tres Orationes exigunt. Sed excipiuntur: Dominica Passionis, Dominicæ occurrentes infra aliquam Octavam et dies infra Octavas Paschatis et Pentecostes, quæ duas tantum; item Dominica Palmarum et vigiliæ Nativitatis Domini ac Pentecostes, quæ unam tantum Orationem admittunt. At insuper ritus Simplex, sive festi, sive feriæ, quinque etiam permittit imo et septem Orationes, computatis hoc numero etiam Collectis imperatis; qui numerus si Sacerdotis arbitrio, ut ei datur facultas, completur, impar esse debet. (Cf. dicenda n. 67.)

Quæ sint Orationes, præter primam, quando plures præcipiuntur, recitandæ, in ipso Missali suis

1) Cf. **Aertnys**. *Comp. Liturgiæ Sacræ* (edit. an. 1899). *P. II. n. 81.*

locis, pro varietate temporum, indicatur; at Commemorationes, si quæ occurrunt faciendæ, tenent illarum locum, dum e contra Collectæ imperatæ superadduntur. Quod si tertio loco Oratio *ad libitum* præscribitur, datur libertas quamcumque ex illis quæ in fine Missalis, sub titulo *Orationes diversæ*, exstant, vel ex Missis tamquam votivis concessis, eligendi, non vero eam omittendi, vel Collectam imperatam illi substituendi [1].

In Oratione *A cunctis*, quæ secundo loco assignatur a Purificatione ad Dominicam Passionis et a Pentecoste ad Adventum, ad litteram N. exprimendum est nomen Sancti Titularis (et omnium si plures sunt æque principales) Ecclesiæ, sive consecratæ, sive solemniter benedictæ [2], in qua celebratur. Quod si Ecclesia non ulli Sancto, sed mysterio est dedicata, vel non fuit solemniter benedicta, ad litteram N. exprimi debet nomen non quidem Sancti Patroni Parœciæ intra cujus limites illa existit, sed Patroni Civitatis vel locis (dictionis), vel Diœcesis, [3]. Si autem Titularis ejusdem Missa votiva celebratur, vel de eo fit Commemoratio, omittitur ipsius mentio in Oratione

1) S. R. C. 17 Aug. 1709, n. 2198, ad II.

2) S. R. C. 28 Nov. 1891, n. 3752, ad I.

3) S. R. C. 12 Sept. 1840, n. 2814, ad I. At in Oratorio privato Seminarii, nominatur Sanctus Titularis Ecclesiæ majoris ejusdem Seminarii. S. R. C. 16 Jun. 1893, n. 3804, ad VIII. Quod si S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 2769, ad VII. ad quæsitum: « An in commemorationibus pro suffragiis facienda sit commemoratio Titularis Diœcesis vel Parœciæ ? » respondit « Negative », hoc intelligitur de hujusmodi Titulari nominando non quidem *loco* Titularis Ecclesiæ in qua celebratur, si hic desit, sed nominando *præter* hunc Titularem si adest; quod postremum tantum prohibetur, nisi forte immemorabili ex consuetudine fiat.

A cunctis, vel, si libet, subrogatur alia Oratio *Concede*, quæ prima est inter Orationes diversas [1], prout Rubricæ præscribunt in Missa votiva SS. Apostolorum Petri et Pauli [2]. Sancti Fundatoris alicujus religiosæ familiæ nomen exprimi a Regularibus potest, non quidem loco Titularis Ecclesiæ, sed præter ipsum, et servato ordine dignitatis [3].

Inter Sanctos nominandos in dicta Oratione ordo servandus est intrinsecæ dignitatis, et, ex Decreto Pii Pp. IX., addenda est mentio S. Joseph ante quoscumque Patronos, exceptis B. Maria V., SS. Angelis et S. Joanne Baptista [4].

Commemoratio pro Defunctis, cum hæc præcipitur in Missis vivorum, ponenda est penultimo loco ante Collectas.

66. **Commemorationes**. Commemorationes in Missa respondent *generatim*, quoad numerum et ordinem, illis quæ fiunt ad Laudes in Officio. Quare in Duplici I. classis, quemadmodum in Officio, ita et in Missa ei respondente nulla fit Commemoratio, sive Simplicis, sive simplificati eadem die occurrentium [5]; in Duplici II. classis fit Commemoratio occurrentis simplificati in quavis Missa, Simplicis autem in Missis lectis tantum, dum-

1) S. R. C. 15 Maji 1819, n. 2597, ad III.

2) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. IX. n. 15.* Sed in Missa votiva S. Joseph, declaratum fuit « recitandam esse Orationem *A cunctis*, omisso nomine S. Joseph. » S. R. C. 27 Maji 1876, n. 3400, ad III.

3) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3758. In pari dignitate præponendum est nomen Titularis. S. R. C. 17 Julii 1900.

4) S. R. C. Decr. Gener. 7 Julii 1871, n. 3252.

5) Exceptio est quoad Commemorationem S. Anastasiæ in altera ex tribus Missis Nativitatis Domini.

modo et hæ non sint Conventuales [1]. Diximus *generatim*, quia in Dominica Palmarum et in vigilia Pentecostes quæcumque Commemoratio facta in Officio omittitur in Missa; e contra, Feriarum II. et III. Rogationum, atque alicujus vigiliæ occurrentis in Adventu, vel Quadragesima, vel Quatuor Temporibus Commemoratio fit in Missa, quæ tamen non sit de Duplici I. classis, quamvis in Officio ea facta non sit [2].

Commemoratio nulla unquam uniri potest Orationi diei, sub unica conclusione, contra ac dicemus quoad Collectas.

Quis ordo servandus sit in Commemorationibus, si plures sint, recitandis, satis innuit Rubrica reformata Missalis [3].

67. **Collectæ.** Hæ Orationes imperantur a Superiore, qui generatim est R. Pontifex pro toto orbe et Episcopus in sua Diœcesi, exclusis vel ipsis Prælatis Regularibus quoad suos subditos, sine Episcopi licentia [4]. Aliquando ab ipsis Rubricis imperantur, v. g. *pro Sponsis* in Missa de Officio diei tempore non clauso, de Ss. Sacramento solemniter exposito etc. Aliquando etiam adjici possunt arbitrio Celebrantis, ut diximus n. 65.

Collectæ imperatæ a Superiore dici debent ex præcepto, etiam a Sacerdotibus non subditis Episcopo præcipienti, [5] et in Regularium exemptorum

1) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. VII. n. 1.* S. R. C. 7 Sept. 1816. n. 2572, ad IV.; 27 Martii 1799, n. 2514, ad VIII.

2) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. III. nn. 2, 4, 5; Tit. VII. n. 1.*

3) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. VII. n. 5.*

4) S. R. C. 27 Mart. 1799, n. 2514, ad VI.

5) S. R. C. 5 Mart. 1898, n. 3985.

Ecclesiis [1], post Orationes et Commemorationes a Rubrica præscriptas et juxta ordinem tum auctoritatis vi cujus dicuntur, tum, in eadem specie, dignitatis ipsarum Orationum.

Verum eædem Collectæ *debent* omitti 1.° in Missis votivis solemnibus; 2.° in omnibus Missis quæ celebrantur in Duplicibus I. classis, in vigiliis tum Nativitatis Domini, tum Pentecostes, et in Dominica Palmarum; nisi tamen præcipiantur pro re vere gravi, tunc enim conjunctim cum Oratione propria Missæ, sub unica conclusione, dicuntur [2]; 3.° in Missis cantatis et Conventualibus, etiam lectis, quæ celebrantur de festo ritus Duplicis I. vel II. classis [3]. Omitti *possunt* ab libitum Sacerdotis in Missis privatis quæ leguntur in Duplicibus II. classis [4]. Sed ex consuetudine, quæ alicubi viget, omittuntur in iisdem Duplicibus II. classis et insuper in diebus infra Octavas privilegiatas, nec non in solemnitatibus particularium Ecclesiarum, in triduis quoque et novendialibus, nisi præcipiantur pro re gravi publica.

De Collectis a Rubricis imperatis dicemus suis in locis. Quoad eas vero quæ Celebrantis arbitrio dicuntur quæsitum fuit: « An Sacerdos, qui a fidelibus eleemosynam accepit ad celebrandam Missam in honorem alicuius Sancti vel de aliquo mysterio, dum ritus non permittit celebrationem Missæ votivæ, possit tamen Missæ occurrenti Commemorationem addere Sancti ipsius vel mysterii? » S. R.

1) S. R. C. 31 Mart. 1821, n. 2613, ad I et II.
2) S. R. C. 7 Aug. 1875, n. 3365, ad III.
3) S. R. C. 7 Dec. 1888, n. 3697, ad VII; 15 Maji 1819, n. 2597, ad II; 25 Aug. 1882, n. 3553, ad II.
4) S. R. C. 15 Maji 1819, n. 2597, ad II.

Congregatio respondit : « Non licere » [1]. Idem dicatur de Collecta *Pro infirmis, Vestitione vel Professione Religiosa* etc. [2]. Et jam indicavimus quando Orationibus præscriptis aliæ addi possunt, quot et quales ad libitum Sacerdotis (cf. n. 65). Hæ autem dicuntur post Collectas imperatas.

68. Orationes, qæcumque sint, unde et Commemorationes et Collectæ, diriguntur vel ad Patrem vel ad Filium [3]. In primo casu conclusio earum est : *Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum* etc. ; in altero casu est : *Qui vivis et regnas cum Deo Patre* etc. Attamen si in decursu Orationis, quæ ad Patrem dirigitur, nominatur Filius, quacumque ipse denotetur voce, v. g. *Redemptoris, Salvatoris, Christi, Unigeniti, Dei* cum additione *Genitricis Mariæ*, etc., et quidem in principio vel medio Orationis, tunc conclusio est : *Per eumdem Dominum nostrum* etc. ; si vero nominatur in fine, dicitur : *Qui tecum vivit et regnat* etc. Si facta est mentio Spiritus Sancti, Oratio concluditur : *Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti*, etc. Sed quum plures Orationes dicendæ sunt, concluditur tantum prima et ultima, comprehensis ipsis Collectis, et tenor conclusionis, quæ plures Orationes claudit, est semper ille qui Orationi postremæ respondet, quidquid sit de præcedentibus [4].

1) S. R. C. 7 Sept. 1850, n. 2981, ad III.
2) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 2771 ; 11 Mart. 1837, n. 2766.
3) Cf. **Benedictus XIV**. *De S. Missæ Sacrificio. L. II. c. V. nn. 5, 6.*
4) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 2724.

CAPUT IV.

De Graduali, Tractu et Sequentia.

69. Post Epistolam, legitur quoddam responsorium, tribus, ut plurimum, constans versiculis, quorum duo priores proprie veniunt nomine Gradualis, tertius, post duplex *Alleluja* et ante aliud *Alleluja* positus, Versus nuncupatur.

Porro Versus, cum adjectis *Alleluja*, omittitur in Missis ferialibus Adventus, Quatuor Temporum, iis exceptis quæ post Pentecosten occurrunt, et vigiliarum cum jejunio, exceptis vigiliis Nativitatis Domini, si hæc venerit in Dominica, Paschæ et Pentecostes. A Septuagesima autem ad Pascha, in Missis etiam festorum, pariter Versus cum *Alleluja* omittitur, sed loco ejus dicitur Tractus, qui duobus et modo pluribus versiculis constat. Demum tempore Paschali etiam Graduale prætermittitur, et statim post Epistolam, duplici præmisso *Alleluja*, duo dicuntur versiculi, quibus unum interponitur et unum postponitur *Alleluja*.

70. Præter Missas *de Requiem*, quinque exstant Missæ quæ Sequentiam habent, seu quæ dicuntur in solemnitatibus Paschæ, Pentecostes et Corporis Christi atque in duobus festis Septem Dolorum B. Mariæ V.

CAPUT V.

De Symbolo.

71. Symbolum, quod ex græco vocabulo idem sonat ac signum, seu tessera religiosæ professionis, quadruplex est: Apostolicum, Nicenum, Constanti-

nopolitanum, Athanasianum. Primum et ultimum dicuntur in Officio. Constantinopolitanum comprehendit Nicenum, cui superaddit articulum de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, necnon quatuor posteriores articulos Symboli Apostolici, et recitatur in Missa post Evangelium.

72. Triplicem ob causam Symbolum recitatur in Missa, seu ratione mysterii, ratione doctrinæ, ratione celebritatis.

a) *Ratione mysterii* dicitur in omnibus Dominicis (excepta Missa Rogationum in festo S. Marci quod in Dominicam incidit), [1] in omnibus festis, etiam secundariis, Domini, B. Mariæ V. et Angelorum.

b) *Ratione doctrinæ* dicitur in festis, etiam secundariis, Apostolorum, Evangelistarum et Ecclesiæ Doctorum. Item in festo S. Mariæ Magdalenæ, quæ prima credidit Jesu Christi Resurrectionem eamque Apostolis nuntiavit.

c) *Ratione celebritatis* dicitur in festis primariis Patronorum principalium, Titularium Ecclesiarum, Fundatorum Religiosorum Ordinum, sed in respectivis Ecclesiis tantum, et non extra, licet ipsorum, et quidem sub eodem ritu, Missa celebretur; item in festis, etiam secundariis [2], Sanctorum vel Beatorum, siquidem horum Missa sit concessa, in iis Ecclesiis quæ eorum Reliquiam insignem [3] asservant, dummodo ritu saltem Duplici gaudeant. Adde festum Sanctorum Omnium et utrumque S. Joseph [4];

1) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, ad XVI.

2) S. R. C. 11 Apr. 1840, n. 2802, ad I.

3) Reliquia insignis est integrum corpus, vel pars notabilis, ceu caput, brachium, crus, imo et pars, non parva tamen, in qua passus est Martyr.

4) Sed in festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ, licet ritu Duplici 1. classis cum Octava potiatur, non dicitur *Credo*, nisi ubi est Patronus vel Titularis.

item festum quodcumque, Symbolum non exigens, si cum magna pompa et populi concursu, sive sua die, sive extra, celebratur, sed in Missa solemni tantum [1].

Quacumque autem ex tribus expositis rationibus *Credo* dicatur in festo, dicitur etiam per totam Octavam, si habet, quamvis Missa sit de alio festo occurrente [2], imo et in die in quam forte transferatur. E contra, festi *Credo* exposcentis, sed reducti ad ritum Simplicem, fit tantum Commemoratio in Missa, omisso Symbolo si aliunde hoc non exigitur.

CAPUT VI.

De Præfatione et de Canone.

73. Quæ Præfationem præcedunt, vel Missam constituunt quæ *Catechumenorum* dicitur, quippe cui et Catechumeni adsistere permittebantur, quousque dimissio eis daretur a Diacono, vel præparationem materiæ ad sacrificium aptæ. Actio vero substantialis in Missa incipit per Canonem, cui, tamquam proloquium excitans et disponens Celebrantis et fidelium animas, præmittitur Præfatio.

Jam tempore Apostolico Præfationem dicendi usum fuisse communis est sententia; imo Ecclesia Occidentalis innumeras serius Præfationes habuit, ita ut sua cuique fere mysterio, vel alicujus notæ Sancto assignaretur. Sed numerus maxime imminutus fuit præsertim a sæculo XII. et hodie nonnisi undecim Præfationes in Missali Romano continentur,

1) S. R. C. 3 Sept. 1746, n. 2392, ad I.
2) Cf. de his omnibus *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. XI.*

videlicet: In Nativitate Domini; in Epiphania Domini; in Quadragesima; in Missis de S. Cruce et de Passione; in Paschate; in Ascensione Domini; in Pentecoste; in festo Ss. Trinitatis et in Dominicis per annum; in festis et in Missis votivis de B. Maria V.; in festis Apostolorum; in festis et in feriis per annum [1].

Ex his patet postremam esse communem, cæteras proprias esse vel de mysterio, v. g. in Nativitate Domini, vel de tempore, v. g. in Quadragesima, Paschate, vel de Sanctis, v. g. in festis B. Mariæ V. et Apostolorum. Porro propria de mysterio, vel de Sanctis præfertur propriæ de tempore, et utraque communi.

« Si infra Octavam alicujus festi habentis Præfationem propriam occurrat festum ex majoribus propriam non habens Præfationem, dicitur Præfatio de Octava, quamvis de ea nulla fiat Commemoratio in Missa » [2]. Hinc v. g. si infra Octavam Assumptionis B. Mariæ V. occurreret festum S. Joachim ritus Duplicis II. classis, prout revera in Missali assignatur Dominicæ infra eamdem Octavam, de hac nihil fieret et tamem Præfatio diceretur propria Octavæ. E contra festi, vel mysterii, cujus in Missa fit tantum Commemoratio, nisi sit infra ejusdem Octavam, non dicitur Præfatio quam propriam habet, sed vel propria Missæ, vel, si hæc desit, de tempore, vel, si hæc non occurrit, communis, et in Dominicis, extra tempus Quadragesimale, vel Paschale, de Ss. Trinitate [3].

1) Ordinibus tamen Religiosis S. Sedes indulget propriam Præfationem de Sancto Fundatore.

2) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. XII. n. 3.* S. R. C. 29 Nov. 1755, n. 2439, ad II.

3) S. R. C. 18 Dec. 1779, n. 2515, ad VI.

74. *Canon* idem est ac regula juxta quam Sacrificium Missæ conficiendum præcipitur. Constituit autem potiorem partem Missæ, cujus substantialia immediate præcedit et subsequitur. Idcirco *actio* vel *agenda* antonomastice dictus est, in eo quippe res Sacrificii substantialiter agitur; quare Orationi *Communicantes*, in eodem Canone exstanti, præponitur titulus: *Infra actiones*. Incipit post trisagium, quo Præfatio concluditur; desinit, probabilius [1], ante Orationem Dominicam, qua quidem initium habet præparatio ad Communionem.

In prima Canonis Oratione, ad litteram N. quæ primo occurrit, nominandus est R. Pontifex ab omnibus Celebrantibus etiam Episcopali vel Cardinalitia dignitate insignitis [2]. Hæc mentio ab ipso R. Pontifice fit his verbis: *Una cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præesse voluisti;* Sede vero Pontificia vacante, supprimitur. Ad alteram litteram N. fit mentio, etiam a Regularibus, vel exemptis [3], Episcopi illius loci in quo Missa celebratur, etsi nondum Episcopus consecratus fuerit, dummodo suæ electionis Litteras Capitulo exhibuerit et possessionem suæ Ecclesiæ jam acceperit [4]. Nulla tamen fit ejus mentio Sede Episcopali vacante, neque Episcopi qui tamquam Apostolicus Administrator regit Diœcesim, neque Abbatis licet Episcopali dignitate insigniti et habentis jurisdictionem quasi

1) Cf. **Benedictus XIV**. *De S. Missæ Sacrificio. L. II. c. XIX. n. 1.*
2) « Mementote Præpositorum vestror. » *Ep. ad Hebr. XIII.*
3) S. R. C. 25 Sept. 1649, n. 924, ad VI; 8 Apr. 1690, n. 1827, ad I.
4) S. R. C. 4 Julii 1879, n. 3500, ad II.

Episcopalem [1]. Sed Episcopus ipse, imo et Cardinalis, licet non sit Episcopus, et Episcopus Titularis seipsos nominant verbis: *Et me indigno famulo tuo*, ut deducitur ex locutione Canonis Missæ Pontificalis. Romæ vero, ubi Episcopus est ipse R. Pontifex, nullus nominatur loco Ansistitis [2].

Id quoque adnotare præstat, in nomine R. Pontificis exprimendo, capitis inclinationem minimam præcipi [3], nullam vero in nominando Episcopo.

75. Oratio *Communicantes* propria habetur cum Præfatione pariter propria (cf. n. 71), in festis et per Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis et Pentecostes, nec non, sed sine Præfatione propria, in Cœna Domini. Porro si contingat infra illas Octavas Missam celebrare de alio festo suam pariter Præfationem habente, v. g. de B. Maria V., quam quidem oportet dicere, Oratio tamen *Communicantes* Octavæ propria non est omittenda, licet de eadem Octava nec Commemoratio fiat [4]. Idem dicendum est de altera Oratione *Hanc igitur*, quæ propria assignatur in Cœna Domini, Paschate et Pentecoste.

In eadem Oratione *Communicantes*, tum in Oratione *Nobis quoque peccatoribus*, quæ dicitur post Consecrationem, inclinandum est caput, non tantum

1) S. R. C. 9 Maji 1857, n. 3047, ad IV; 27 Junii 1889, n. 3711, ad I. Verum Abbatis Montis Cassini atque Archiepiscopi Mutinensis, qui est Abbas Commendatarius Nonantulæ, mentio fit in Canone ex antiqua consuetudine, quam probavit S. R. C. 26 Apr. 1898, n. 3991 et n. 3992.

2) Mentio Regis, quæ in quisbudam Missalibus invenitur, nonnisi ex venia S. Sedis facienda est.

3) *Miss. Rom. Ritus celebr. Missam. Tit. V. n. 2.* S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2915, ad V.

4) S. R. C. 16 Junii 1663, n. 1265, ad III; 13 Febr. 1666, n. 1333, ad VIII.

ad nomina Jesu et B. Mariæ, sed etiam ad nomen Sanctorum quorum in Missa saltem Commemoratio facta fuit [1], sive in festo, sive infra Octavam, sive extra.

CAPUT VII.
De Calicis Purificatione.

76. Quum contingat ab uno Sacerdote duas eadem die Missas, ex accepta facultate, esse celebrandas, operis pretium est ipsum instruere quo modo Calicis sit perficienda purificatio. Nostris tamen hic non utimur verbis, at potius duas subjicimus Instructiones, alteram quæ prodiit a S. R. Congregatione die 12 Septembris 1857, pro casu quo duplex Missa sit eadem die sed non in eodem loco celebranda, alteram depromptam ex Commentariis Bartholomæi Gavanti et Cajetani Mariæ Merati, pro casu quo in eodem etiam loco utraque Missa celebretur [2].

Instructio Prima. « Quando Sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima, dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat Calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio Altari dicat : *Quod ore sumpsimus, etc.* et subinde admoto aquæ vasculo digitos lavet dicens : *Corpus tuum etc.* et abstergat.

Hisce peractis Calicem, super corporale manentem adhuc, deducta palla cooperiat, ceu mos est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo.

1) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, ad XX.
2) Ambæ Instructiones insertæ fuerunt in recentioribus editionibus Ritualis Romani. I. Appendice.

Post hæc Missam prosequatur, et completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio Altaris, et detecto Calice, inspiciat an aliquid divini Sanguinis nec ne ad imum se receperit quod plerumque continget. Quamvis enim sacræ species primum sedulo sorptæ sint, tamen dum sumuntur, cum particulæ, quæ circum sunt, undequaque sursum deferantur, non nisi deposito Calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quædam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat, et seperexstantibus adhuc vini speciebus ex divino præcepto compleri debet.

Postmodum Sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquæ fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, ut alias fit, atque ab Altari discedat.

Depositis vestibus sacris, et gratiarum actione completa, aqua e Calice demissa pro rerum adjunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat, Missam habiturus), et in secunda purificatione in Calicem demittatur, vel gossypio aut stuppa absorpta comburatur, vel in sacrario, si sit exsiccanda, relinquatur, vel demittatur in piscinam.

Cum autem Calix, quo Sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero in altera Missa diverso Calice uti poterit. »

77. **Instructio altera.** « Hoc itaque in casu (nempe cum Sacerdos utramque Missam in eadem Ecclesia offerre debet) Sacerdos post haustum in prima Missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena Calicem et palla patenam tegens, ac super Corporale relinquens, dicet junctis manibus: *Quod ore sumpsimus, Domine, etc.* Deinde digitos, quibus Ss. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo, ad hoc in Altari præparato, abluet, interim dicens: *Corpus tuum, Domine, etc.:* abstersisque purificatorio digitis, Calicem velo cooperiet, velatumque ponet super corporale extensum.

Absoluta Missa, si nulla in Ecclesia sit sacristia, Calicem eodem modo super Altare relinquet; secus vero in sacristiam deferat, ibique super corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit usque ad secundam Missam, in qua, cum eodem Calice uti debeat, illum rursus secum deferet ad Altare, ac super corporale extensum reponet.

Cum autem in secunda Missa Sacerdos ad Offertorium devenerit, ablato velo de Calice, hunc parumper versus cornu Epistolæ collocabit, sed non extra corporale; factaque hostiæ oblatione cavebit, ne purificatorio extergat Calicem, sed eum intra corporale relinquens leviter elevabit, vinumque et aquam eidem caute imponet, ne guttæ aliquæ ad labia ipsius Calicis resiliant, quem deinde, nullatenus ab intus abstersum, more solito offeret [1]. »

1) Hujusmodi Instructiones usui esse possunt etiam Sacerdotibus, qui tres Missas in festo Nativitatis Domini celebrare debent diversis horis et forte in locis diversis.

CAPUT VIII.

De Ite Missa est, de ultimo Evangelio ac de precibus post Missam.

78. Ultima Oratione recitata, Celebrans in medio Altari se vertit ad populum eumque dimittit per verba: *Ite Missa est*, quoties in Missa, sive hæc respondeat, sive non, Officio, dictus est hymnus *Gloria in excelsis* (cf. n. 63), addens duo *Alleluja* a Sabbato Sancto ad Sabbatum in Albis. Quum vero hymnus Angelicus omissus fuit, non illa verba proferuntur, sed *Benedicamus Domino*, et quidem facie versa ad Altare. Repetendum est hoc ab antiqua disciplina, qua post Missas præsertim feriales, in quibus hymno Angelico non erat locus, populus, vel saltem Clerus in Ecclesia manebat pro fundendis precibus longioribus; quare non dabatur dimissio.

In Missa autem de *Requiem*, quæ tota est pro Defunctis, ex antiqua generali consuetudine, per Rubricas inde firmata, dicitur *Requiescant in pace*, numero plurali etsi pro uno tantum Missa celebrata fuerit; neque enim populus dimittendus, cum in Ecclesia sistere debeat pro Cadaveris delatione ad sepulturam.

79. Post Benedictionem, vel post Orationem *Placeat tibi, etc.*, si illa danda non est, ut in Missis de *Requiem*, Celebrans procedit junctis manibus ad cornu Evangelii, ibique, dicto *Dominus vobiscum*, prosequitur dicens: *Initium*, vel *Sequentia Sancti Evangelii, etc.* interea signans pollice dexteræ manus Altaris mensam, vel librum, et inde seipsum

in fronte, ore et pectore. Evangelium quod legitur vel est commune S. Joannis: *In principio erat Verbum, etc.*, vel proprium Dominicæ, feriæ, vigiliæ, de quibus fere semper dicta fuit nona Lectio in Matutino. Idem Evangelium dicitur a Sacerdote oblique stante, seu parumper per suam sinistram ad populum converso [1].

80. Lecto ultimo Evangelio Sacerdos, junctis manibus, non autem Calicem tenens, quod minus decere censemus, descendit [2] preces dicturus post Missam præscriptas.

Quæres 1.°: Num et quando harum precum recitatio præcipiatur? Resp.: Hujusmodi recitatio præcipitur jussu R. Pontificis, qui eam ob innumeras gravesque Ecclesiæ necessitates imposuit. Recitandæ vero sunt post Missas privatas, non vero post solemnes, vel cantatas, vel Conventuales etiam sine cantu [3]; in festo autem Nativitatis Domini recitantur post ultimam tantum ex tribus, vel duabus Missis quæ continuo dicuntur, at minime post secundam lectam, quam immediate subsequitur tertia solemnis [4]. Neque ratio excusat quod nullus fidelium intersit Missæ, vel quod eodem momento eædem preces ab alio Celebrante recitentur, vel quod strepitus musicorum aut cantus in Ecclesia impediat recitationem precum, cum hæc fieri possit et debeat alternatim cum Missæ inserviente et sub-

1) S. R. C. 30 Aug. 1892, n. 3792, ad V.

2) Inclinationem capitis ante Crucem Altaris, hic non præscribi, neque prohiberi, dixit S. R. C. 18 Junii 1885, n. 3637 ad VIII.

3) S. R. C. 7 Dec. 1888, n. 3697, ad VII.

4) S. R. C. 30 Apr. 1889, n. 3705; 11 Dec. 1896, n. 3936, ad I.

missa voce [1]. Quod si aliæ preces sint recitandæ, quod minime interdicitur [2], vel fiat expositio Ss. Sacramenti, vel Communio populi, his omnibus est præmittenda recitatio precum a R. Pontifice præscriptarum[3]. Et Regulares qui ex Constitutionibus sui Ordinis, ut ecce Carmelitæ, tenentur in fine Missæ recitare Antiphonam *Salve Regina* cum versiculis *Ora pro nobis*, etc. et Oratione *Omnipotens*, debent postea recitare rursus eamdem Antiphonam et preces a R. Pontifice statutas [4].

Quæres 2.°: Ubinam debeat Sacerdos consistere in precibus istis dicendis? Resp.: « In recitatione precum genuflectendum pro lubitu sive in suppedaneo, sive in infimo gradu Altaris » [5]. Flexis autem genibus per integrum eas esse dicendas, patet ex Rubrica eisdem præfixa.

Id notare præstat recte in tabellis, quibus eæ preces typis nunc imprimuntur, poni *Beato Joseph* et non *Beato Josepho*, itemque primam ex duabus Orationibus concludi verbis *Per eumdem Christum Dominum nostrum* (cf. n. 68).

APPENDIX

De administratione Communionis.

81. Cum non tantum intra Missam, sed etiam ante, vel post eam, Communio fidelibus possit [6] et soleat administrari, de ea in hac Appendice loqui-

1) S. R. C. 7 Dec. 1900, apud *Ephem. Liturg.* an. 1901 pag. 265. Neque expectandum quod quæ ab aliis fiunt cessent.
2) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3157, ad VII.
3) S. R. C. 23 Nov. 1887, n. 3682.
4) S. R. C. 18 Junii 1885, n. 3637, ad VII.
5) Ita S. R. C. 18 Junii 1885, n. 3637, ad VIII.
6) S. R. C. 17 Julii 1894, n. 3832, ad III.

mur, ipsam spectando pro triplici momento quo fieri contingat, seu ante, intra et post Missam.

Adnotamus tamen populi Communionem statim post Communionem Sacerdotis fieri, magis respondere menti Ecclesiæ, at præceptum ita non dari ut rationabilis quævis causa ordinem mutari non permittat, imo aliquando non suadeat, ut v. g. cum periculum adest vel timetur, nostris temporibus non infrequens, eos tædio affici, qui non communicantes, sæpe indevoti finem Missæ præstolantur, vel ante finem discedunt.

82. **Ante Missam.** Sacerdos communicaturus immediate ante Missam, ad Altare, more solito, accedit omnibus sacris indutus vestibus ad Missam celebrandam necessariis, sive earum color respondeat colori Officii diei, sive non ; imo etiamsi nigri sint coloris [1].

Calice de more ad latus Evangelii collocato et corporali, quod in Missa adhibetur, extenso, aperit tabernaculum et omnia peragit quæ in Rituali Romano [2], pro distribuenda Ss. Eucharistia extra Missam, statuuntur.

Finita Communione, ad Altare reversus, solitas recitat preces, omissis tamen, tempore Paschali, *Alleluja* ad antiphonam et versiculos si nigris indutus sit paramentis [3]. Clauso tabenaculo, dat populo Benedictionem, præterquam si Missam de *Requiem* sit celebraturus [4].

83. **Intra Missam.** Sumpto pretiosissimo Sanguine, Sacerdos Calicem ad latus Evangelii, sed super corporali, collocat et palla obducta cooperit.

1) S. R. C. Decr. Gener. 27 Junii 1868, n. 3177.
2) *Rit. Rom. Tit. IV. c. II.*
3) S. R. C. 26 Nov. 1878, n. 3465.
4) S. R. C. 30 Aug. 1892, n. 3792, ad X.

Dein vel particulas, si quas consecravit et super corporali positas habet, Patena colligit, vel Pyxidem, si in hac consecravit, in medio reponit, vel si eam coram se non tenet, e tabernaculo deducit, aperit et juxta morem prosequitur.

Quod præter Celebrantem, alius Sacerdos, ut illi auxilietur in Communione generali, Ss. Eucharistiam eodem tempore administret, permitti posse videtur, ut fert etiam praxis Ecclesiarum Urbis [1].

Communione peracta, redit ad Altare et nihil dicens, Pyxidem, nisi statim purificanda sit, cooperit, genuflexione præmissa, et in tabernaculum recludit, Missam inde prosequuturus.

84. **Post Missam**. Precibus recitatis, quæ post Missam privatam præcipiuntur (cf. n. 80), Sacerdos Altare ascendit, sacris adhuc vestibus indutus, omniaque præstat, eodemque ritu, non secus ac ante Missam Communionem administraturus esset, data in fine, vel non, Benedictionem, juxta colorem paramentorum, ut antea diximus.

Quæsitum fuit: « An toleranda sit vel eliminanda consuetudo inveterata, qua Sacerdos qui ad Altare aliquod ad celebrandum accedit vel ab eo recedit, sic sacris vestibus Sacrificii indutus et præ manibus Calicem tenens, ascendat in transitu ad Altare, in quo adest Ss. Eucharistia, ut ibi Sacram Communionem fidelibus distribuat? et quatenus non sit toleranda: An, depositis planeta et manipulo in Sacristia, accedere possit cum alba et stola? » S. R. Congregatio respondit: « Ad primam partem: Si adsit necessitas, posse tolerari; ad secundam: Provisum in prima [2]. »

1) Cf. etiam **Pighi**. *Lit. Sacramentor. et Sacramental. n. 86* (edit. III.) Ibi fuse agitur de Ss. Eucharistiæ distributione.

2) S. R. C. 12 Martii 1836, n. 2740, ad XI.

TITULUS V.

DE MULTIPLICI MISSARUM SPECIE

CAPUT I.

De Missa solemni et cantata.

85. Ut jam animadvertimus (n. 19), Missa solemnis ea dicitur quæ cum sacris Ministris, cantu et magno rituum apparatu celebratur.

Ministri sunt Diaconus et Subdiaconus, induti respective dalmatica et tunicella, quas vestes sericas et ex congruentia benedictas, decet esse conformes planetæ Celebrantis [1]. Tempore autem Adventus et Quadragesimæ et diebus jejuniorum, in Missa de Dominica vel de feria, quæ canitur in Ecclesiis majoribus, dalmaticæ et tunicellæ substituuntur planetæ plicatæ, quas exuunt Subdiaconus quidem dum cantat Epistolam, Diaconus vero ab Evangelio usque ad sumptionem Calicis inclusive [2], quo etiam tempore hic stolam induit latiorem, nullas habentem cruces intextas [3].

1) S. R. C. 31 Maji 1817. n. 2578, ad IV.

2) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. XIX., n. 6.* Sed in Ecclesiis minoribus alba tantum amicti ministrant, cum manipulo et Diaconus etiam cum stola. *Ibidem n. 7.* Ad hunc tamen effectum pro Ecclesiis majoribus veniunt etiam Parochiales. S. R. C. 23 Apr. 1875, n. 3352, ad VII. Quod planetæ in parte anteriori decurtatæ pro plicatis adhibeantur, ceu alicubi mos est, prohibendum non videtur.

3) S. R. C. 25 Sept. 1852, n. 3006, ad VII.

Vice Subdiaconi fungi permittitur Clericus prima saltem tonsura insignitus, at non pro lubito, sed tantum in casu necessitatis, seu vere deficiente alio in sacris constituto, qui illud munus agat, et etiam sine manipulo [1]; secus, si scienter hoc uteretur, irregularis fieret. Alius tamen in sacris constitutus deficere censetur, si aliis ipse debeat tunc vacare officiis, vel si opportunius munus diversum in eadem Missa solemni sit acturus. Sed Clericus, qui vice fungitur Subdiaconi, omnia præstare potest quæ a Subdiacono ponuntur, ne inutile sit ejus ministerium.

Interrogata S. R. Congregatio de more adhibendi pro Ministris Sæculares et Regulares simul, vel omnes Regulares, sed diversi Ordinis, præsertim habentes cæremonias sibi proprias, respondit: « In omnibus sacris functionibus, præsertim in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, in quibus adest numerus sufficiens Ministrorum de gremio ipsarum Ecclesiarum, convenit ut Celebrans et Ministri sint de gremio Ecclesiæ: quatenus vero sufficiens hic numerus desit, oportet ut sacri Ministri, qui extra gremium Ecclesiæ assumuntur, eamdem Ecclesiæ illius Liturgiam sequantur, ne ulla prorsus in sacris exercendis ritibus ac cæremoniis difformitas habeatur [2]. »

86. Quod, præter Diaconum et Subdiaconum, alius Presbyter Pluviali indutus assistat Celebranti, qui sit simplex Sacerdos, est abusus, ne prætextu quidem immemorabilis consuetudinis sustinendus [3]. Hanc tamen consuetudinem servari posse decla-

1) S. R. C. 17 Julii 1894, n. 3832, ad VII.
2) S. R. C. 18 Mart. 1874, n. 3327, ad I.
3) S. R. C. 15 Mart. 1721, n. 2271; 7 Dec. 1844, n. 2867, ad II; 28 Julii 1876, n. 3408, ad II, præter alia plura responsa.

ratum fuit si Celebrans sit Canonicus, quemadmodum toleratur mos dictæ assistentiæ in prima Missa novi Sacerdotis [1]. Non tamen eodem modo Presbyter cum Pluviali assistit Canonico vel Sacerdoti celebrantibus, ac Episcopo pontificanti; in illorum enim Missis assistit tantum ad Librum [2]. Nihilominus illi non talis est gradus assignandus ut nulla ei competat supra Diaconum et Subdiaconum præcedentia, ceu innuere videtur *Instructio alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris*, Romæ edita anno 1887 [3]; nam, ex posterioribus responsis S. R. Congregationis, Presbyter Assistens debet sistere, in exitu a Sacristia et reditu ad eam, ad sinistram, et in Missæ initio, ad dexteram Celebrantis: debet incensari ante Subdiaconum et pacem accipere a Celebrante ut det Diacono [4].

87. In Missa solemni partes quædam sunt cantandæ vel a Celebrante, vel a Ministris; quædam a cantoribus sive Clericis, qui in Presbyterio possunt consistere, sive a laicis, non vero fœminis, non obstante invecta consuetudine tamquam abusus eliminanda [5], extra Presbyterium. Partes a cantoribus non omittendæ sunt: Introitus, Kyrie, Gloria in excelsis, Graduale, Tractus, Sequentia, Offertorium, Sanctus, Benedictus, Agnus Dei et Communio; neque usus contrarius sustinendus est [6]. Attamen « omissio Gradualis, Tractus, Offertorii et versiculi,

1) S. R. C. 1 Dec. 1882, n. 3564, ad I. et II.
2) Ibidem. ad I.
3) Exstat apud **Fumagalli**. *Manuale. etc. L. II. v. Presbyter Assistens.*
4) S. R. C. 15 Apr. 1899, n. 4018, ad II. et VI.
5) S. R. C. 17 Sept. 1897, n. 3964.
6) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2959, ad II; 7 Aug. 1875, n. 3365, ad VII.

quem Communionem appellant, in quibusdam specialibus rerum adjunctis, ut est vocum defectus, si musici Organi sonitu suppleatur, tolerari potest [1]. » Dum a cantoribus canitur Symbolum, non licet Celebranti Missam prosequi, et dum a Celebrante canitur Præfatio, vel Oratio Dominica, Organa silere debent [2], quæ tamen pulsari possunt, ubi est consuetudo, ad respondendum ad *Ite Missa est* [3].

Item S. R. Congregatio decrevit: I. « Cantiones quascumque vernaculas esse omnimo prohibitas, in omnibus Missis quæ vel solemniter vel solum in cantu celebrantur; ita ut modulationibus, quas liturgico idiomate Rubricæ præscribunt, nulli liceat alias ab illis addere vel immiscere; et consuetudinem ea de re contrariam, si alicubi invecta fuerit, esse prorsus eliminandam tamquam abusum et corruptelam. » II. « Ea, quæ cantorum schola exsequi alternatim debet, numquam esse omittenda; sed vel per integrum cantanda, vel, si vocibus jungantur Organa, partim concinenda, partim sub Organis clara voce legenda, prout Cæremoniale Episcoporum præscribit; Symbolo excepto, quod per integrum, si recurrat, semper canendum erit. » III. « Dum Ss. Sacramentum, sive sub una sive sub altera specie elevatur, cantoribus esse omnino silendum, juxta Rubricas, iisdemque Sacramentum cum cæteris adorandum.

Quod si, peracta ultima elevatione, quam juxta Rubricas statim *Benedictus* subsequi debet, ad Orationem Dominicam usque, aliquid modulari libeat, S. R. Congregatio id permittit, dummodo de iis,

1) *Ordinatio quoad Sacram Musicen ex S. R. C. an. 1884. art. VII.*
2) S. R. C. 17 Dec. 1695, n. 1936 : 27 Jan. 1899, n. 4009.
3) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2951, ad V.

quæ ex Liturgia sumenda sunt, nihil prætermittatur, Celebrans a Missa continuanda haud impediatur, et quod concinitur ad Sacramentum pertineat [1]. »

Quo autem gravitati cantus et musices in sacris functionibus magis consuleretur, S. R. Congregatio Ordinationem edidit anno 1884 [2], cui alia accedit anno 1894 publicata [3].

88. Cæremoniæ etiam multiplices comitantur Missæ solemnis celebrationem, quas quidem, ut recto procedant ordine, moderatur Cæremoniarius, qui sit sacris instructus ritibus, non laicus, et cotta indutus. Huc referuntur plures inclinationes et genuflexiones, Chori præsentia, plures candelæ, sex saltem (cf. n. 34), super Altari accensæ, delatio luminum ad cantum Evangelii [4] et ad *Sanctus*, Altaris ornatus, incensationes et sæpe sermo laudis statim post Evangelium [5].

Nulla est ratio, qua a Celebrante ponatur incensum in thuribulo antequam e Sacrario exeat, cum id præcipiatur tantum in Cæremoniali Episcoporum [6] in casu quo Episcopus solemniter cele-

1) S. R. C. Decr. Gener. 22 Maji 1894 n. 3827; quo emendatur responsum 14 Apr. 1753, n. 2424, ad VI, concedens cantum alicujus antiphonæ in elevatione Ss. Sacramenti.

2) Exstat apud **Fumagalli.** *Manuale etc. L. II. v. Musicen.*

3) S. R. C. 7 Julii 1894. n. 3830. Cf. etiam S. R. C. 14 Martii 1896, n. 3891, ubi statuitur intonationes et modulationes cum responsionibus ex præcepto servari debere prout in Missali jacent; et contrarias consuetudines esse eliminandas.

4) Ad Evangelium deferenda sunt candelabra cum cereis accensis, non vero intorticia. S. R. C. 22 Junii 1874, n. 3333, ad I.

5) *Miss. Rom. Ritus celebr. Miss. Tit. VI. n. 6.* S. R. C. 16 Mart. 1591. n. 9 ad VIII.

6) *Cæremon. Episcopor. L. II. c. VIII. nn. 23, 24, 25.*

braturus vestes induat in aliqua Cappella vel Sacrario, et, processionali ritu, procedat ad Altare cum Ministris, Cruce et cereis [1].

Incensationes in Missa solemni omitti nequeunt: incensari autem debent, post Crucem, Reliquiæ vel imagines Sanctorum, quamvis hæ Reliquias inclusas non habeant, quæ hinc inde inter candelabra Altaris reperiuntur [2].

Quæsitum fuit: « Quænam a Diacono et Subdiacono tenendæ sunt normæ pro genuflexionibus peragendis in Altari: 1. Dum ab uno latere in aliud transeunt: 2. Dum ab uno latere pergunt in medium: 3. Dum a medio ascendunt ad Altare, aut vice versa? ». S. R. Congregatio respondit: « Ad 1. Diaconus et Subdiaconus, Sacramento non exstante super Altari, semper genuflectunt, et tantum in medio: Sacramento vero exstante super Altari, semper et tantum genuflectere debent in utroque latere. Ad 2. et 3. Diaconus et Subdiaconus, Sacramento exstante super Altari, semper et tantum genuflectunt in loco, a quo recedunt; excepto Subdiacono, qui reversus ab incensatione Sacramenti ad Elevationem in Missa solemni de *Requiem*, genuflectere debet in medio tantum: Sacramento non exstante super Altari, numquam genuflectunt, præter Subdiaconum, quando, accepta Patena, vadit post Cele-

1) Cf. **Fumagalli.** *Manuale etc. L. I. P. II. c. I. n. 11. adnot.* At putamus consuetudinem, ubi est, servari posse, quia nulli ipsa opponitur legi et cultum potius auget (cf. n. 13).

2) S. R. C. 21 Mart. 1744, n. 2375, ad III. Sacramentum exstare super Altari intelligitur, cum ibi invenitur, seu super mensam, post Consecrationem.

brantem ante medium Altaris, et, facta genuflexione, ibi stat [1]. »

89. Contra ac olim declaraverat, S. R. Congregatio statuit in eadem Ecclesia, et de eodem Sancto vel mysterio, plures Missas eadem die cantari posse, eas tantum prohibitas decernens quæ, præter Conventualem, in ipsa officiatura chorali concinuntur, vel cum ea aliquam relationem habent [2].

90. Missa cantata a solemni differt ratione tum Ministrorum, tum cantus, tum cæremoniarum.

Ministri parati minime adhibentur, sed cotta tantum induti, etiam ex Clericis, non vero ex laicis [3]. « An celebrans Missam cum cantu sine Ministris adhibere possit plures quam duas candelas, et Ministrum qui folia vertat et Calicem discooperiat ipsumque mundet, vinum et aquam infundat, eumdemque Calicem infra actionem palla cooperiat et discooperiat juxta opportunitatem, nec non ipsum tergat post Communionem, suisque ornamentis instruat; vel celebrare debeat ut in Missis sine cantu, omnia supraenunciata a semetipso peragendo et non ope Ministri? » S. R. Congregatio respondit: « Affirmative, ad primam partem: Negative ad secundam » [4]. Et denuo interrogata: « Utrum iste Minister debeat esse in sacris constitutus? » eadem S. R. Congregatio respondit: « Affirmative, si debeat

1) S. R. C. 9 Junii 1899, n. 4027. Declaratum etiam fuit servari posse consuetudinem, ubi ea viget, quod Subdiaconus non accedat cum Diacono ad Altare ut dicat *Sanctus*, contra ac præscribit Rubrica Missalis. S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, ad XXX. Item Ministros paratos inter Missam solemnem privatim recitare non posse Horas Canonicas. S. R. C. 20 Mart. 1869, n. 3201, ad IX.

2) S. R. C. 30 Junii 1896, n. 3921.

3) S. R. C. 7 Sept. 1861, n. 3108, ad III.

4) S. R. C. 25 Sept. 1875, n. 3377, ad I.

etiam Calicem abstergere »[1]. Quare, si qui inservit non est in sacris constitutus, a Calice abstergendo debet abstinere, et, si ne in Acolythatus quidem ordine est constitutus, etiam a tangendis sacris vasibus abstineat oportet[2].

91. Cantum generatim quod spectat, recole dicta n. 87. Sed Epistola canenda est in loco consueto, non autem in choro, a Clerico cotta induto, qui saltem Lectoris ordine sit insignitus, sive hic Missæ inserviat, sive non; eoque deficiente, satius erit quod ipsa Epistola legatur sine cantu a Celebrante; neque in Ecclesiis Monialium decantari potest ab una ex ipsis[3]. Evangelium autem semper est canendum in cornu proprio a Celebrante, et pariter *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace*.

92. Quoad cæremonias, hæ minori, ac in Missa solemni, apparatu perficiuntur. Incensationes omnes sunt omittendæ, quamvis sit expositum Sanctissimum Sacramentum, non obstante consuetudine, quæ sine offensione et scandalo populi supprimi non possit, nisi præsto sit speciale Indultum[4]. Candelæ saltem quatuor accenduntur (cf. n. 34), sed lumina non

1) S. R. C. 6 Dec. 1901, apud *Ephem. Liturg.* an. 1901, pag. 700.

2) Cf. **De Amicis**. *Il Parroco provveduto, pag. 345*, ubi Instructio ad hoc legitur, et *Il Monit. Eccl. Ser. I. Vol. IX. P. I. p. 278.*

3) *Miss. Rom. Ritus celebr. Miss. Tit. VI. n. 8.* et S. R. C. 23 Apr. 1875, n. 3350. In hoc tamen responso, quod *ad mentem* datum fuit, non exigitur Lectoratus ordo in Clerico, dummodo hic Missæ inserviat, ut possit cantare Epistolam.

4) S. R. C. 18 Mart. 1874, n. 3328, ad I.; 9 Junii 1884, n. 3611, ad VI. Responsio in Urgell., quæ affertur a cl. **Fumagalli**. *Manuale etc. L. I. P. II. c. V. n. 3. adnot.*, a Collectione Authentica expuncta fuit.

deferuntur ad Evangelium et ad *Sanctus*. Celebrans tamen sedere potest, dum a choro canitur hymnus Angelicus, vel Sequentia, vel Symbolum.

CAPUT II.

De Missa Conventuali et de Parochiali.

93. Conventualem diximus (n. 19) Missam sive solemnem, sive cantatam, sive etiam lectam, propriam Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, seu quæ quotidie in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis et Regularium choro obstrictorum, juxta Divini Officii recitationem, choralibus præsentibus, celebratur.

In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis cum cantu debet hæc Missa celebrari, et aliquando duplex, v. g. de festo et de feria occurrente, aliquando etiam triplex, v. g. de festo, de feria et de vigilia. Quoad Commemorationes, cf. dicta n. 66; quoad Collectas et preces post Missam, cf. dicta n. 67 et n. 80. Cætera, quæ de Missa solemni vel cantata diximus, etiam Conventuali generatim aptari possunt. Quibus horis hæc Missa sit celebranda satis explicatur in Rubricis Missalis [1].

94. Missa Parochialis est quæ diebus festis et Dominicis a Parocho celebratur et pro populo applicatur.

Qualis et quanta sit hujus celebrationis et applicationis obligatio, Moralistæ tradunt. Sacram Liturgiam quod spectat, sufficit hæc adnotare: 1° Missa Parochialis debet esse conformis Officio diei; non igitur votiva, vel de *Requiem*, idque etiam

1) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. XV. nn. 2, 4.*

in festis nunc suppressis [1]. 2° Dies, quibus Missa eadem est dicenda, cum applicatione pro populo, sunt illi, qui inveniuntur designati in Encyclica Pii Pp. IX. 3 Maji 1858. 3° In dicta Missa, non ordinario, sed diebus tantum solemnioribus, possunt plures duobus cerei accendi [2] (cf. n. 34).

CAPUT III.

De Missis de Tempore, de Mysteriis et de Sanctis.

95. Prout jam diximus (n. 8), prior Missalis pars inscribitur: *Proprium Missarum de Tempore,* et altera : *Proprium Missarum de Sanctis.*

Jamvero in parte priori continentur Missæ, quæ *de tempore* dicuntur, quibus potiora coluntur, suis infra annum ecclesiasticum temporibus, mysteria Redemptionis nostræ, v. g. Adventus, Quadragesimæ, Paschatis, Pentecostes, etc., atque, prout Missæ hujusmodi assignatæ exsistunt vel Dominicis vel feriis, habentur Missæ vel *dominicales*, vel *feriales.*

In altera parte continentur Missæ, quæ singulis Sanctis, vel particularibus quibusdam mysteriis, v. g. Exaltationis S. Crucis, sunt assignatæ suis propriis diebus infra annum civilem. Quod si propria Missa pro aliquo Sancto non exsistat assignata, una ex illis dicitur, quæ, pro diversa Sanctorum classe, sunt ipsis communes, et in tertia Missalis parte reperiuntur.

1) S. R. C. 21 Febr. 1896, n. 3887. Excipitur Missa Rogationum, quæ quidem potest applicari pro populo. S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 3059, ad II.

2) S. R. C. 7 Sept. 1850. n. 2984; 12 Sept. 1857, n. 3059, ad IX. At magna solemnitas non est ad hoc necessaria, et sufficere videtur, si in ea Missa locum habet explicatio Evangelii, si ad eam populus vocari solet speciali campanarum sonitu. etc.

TITULUS VI.

DE MISSIS VOTIVIS

CAPUT I.

De Missis votivis in genere.

96. Missa votiva dicitur a *voto*, seu voluntate; et ea est, quæ non respondet Officio diei, prout vult generalis regula, sed ab eo est difformis, idque ex voluntate sive privatorum, scilicet Celebrantis vel fidelium, sive ipsius Ecclesiæ, quæ eam interdum per Rubricas præcipit [1].

97. Dividuntur Missæ votivæ in *solemnes* et *privatas*. Votivæ solemnes, qua tales, quatuor tantum numerantur, videlicet: 1) pro re gravi; 2) de festo, quod juxta Rubricas in aliam diem est transferendum; 3) de Ss. Sacramento pro adoratione XL Horarum; 4) in anniversario electionis et consecrationis proprii Episcopi. Hæ quatuor Missæ, prout sunt votivæ, ceu solemnes habentur, dummodo celebrentur revera solemniter, vel saltem,

1) Quoniam Leo XIII. P. M. a. 1883, concessit sex Officia votiva, dicenda pro lubito Sacendotis loco ferialium occurrentium, illisque etiam respondentes adsignavit Missas (cf. n. 8), hæ quoque votivæ dicuntur, quatenus nempe respondent Officiis votivis, quorum recitatio a voluntate pendet Sacerdotis, et difformes sunt ab Officio diei. Attamen non iisdem legibus ac Missæ votivæ, saltem universim, reguntur.

deficientibus Ministris, cum cantu. Cæteræ Missæ votivæ, seposito Indulto Apostolico, sunt privatæ, quamvis forte cum cantu, vel etiam cum Ministris celebrentur.

Patet igitur solemnitatem hic repeti potius a causa, ob quam Missæ dicuntur, quæque publica semper est, quam ab ipsarum exteriori ritu.

98. Etsi Rubrica Missalis concedat Missas votivas privatas dici posse pro Sacerdotis arbitrio, ritu permittente, subjungit tamen : « Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa » [1]. Porro causa rationabilis certe habetur, cum aliqua occurrit necessitas indicata titulis, qui præfixi leguntur Missis votivis in Missali contentis, v. g. pro pace, pro infirmis, etc. (cf. n. 8). Item potest esse necessitas spiritualis, vel temporalis sive Celebrantis, sive alicujus fidelis, imo et specialis horum devotio erga aliquem Sanctum, vel aliquod mysterium. Quod si, die qua licet, Missa votiva a fideli aliquo petatur, debet ea dici ; secus minime satisfit obligationi susceptæ ; ritu vero diei votivas Missas non permittente, obligationi satisfit celebrando Missam Officio conformem, cum applicatione juxta mentem petentis [2].

99. Ad quatuor classes reduci possunt Missæ votivæ, spectato earum objecto ; 1) de Sanctis ; 2) de mysteriis ; 3) de B. Maria V. ; 4) pro diversis necessitatibus. Notare enim præstat *de tempore* dici non posse votivas Missas.

100. **De Sanctis.** Missæ votivæ dici possunt de quibuscumque Sanctis in Martyrologio relatis ;

1) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. IV. n. 3.*
2) S. R. C. 13 Junii 1899, n. 4031, ad IV. Cf. etiam Decr. Gener. 30 Junii 1896, n. 3922, §. IV., n. 3.

non vero de Beatis, quamvis Officio et Missa gaudeant; quippe quorum cultus est tantum permissus et limitibus permissionis definitus [1].

Missa, quæ dicitur, est propria, si ea in Missali, vel, pro iis quibus fuit concessa, in hujus Appendicibus reperitur, sive die festo, sive inter votivas; secus sumitur de Communi, juxta uniuscujusque Sancti qualitatem, factis in utroque casu mutationibus infra indicandis, et partibus propriis, si quæ sunt, retentis.

101. **De Mysteriis.** Non omnium mysteriorum Missæ tamquam votivæ dici possunt; sed illorum tantum, quæ non sunt certo tempori propria, ita ut possit eorum recordatio tempore alio fieri. Quare ut votivæ dici possunt Missæ de Ss. Trinitate, de Spiritu S., de Ss. Sacramento, de Passione et de Cruce, quæ præsto sunt inter alias votivas (cf. n. 8); item de Ss. Nomine Jesu, de Ss. Corde Jesu, de Pretiosissimo Sanguine, et, pro aliquibus locis, de Instrumentis Passionis, quorum festa in feriis sextis Quadragesimæ aguntur.

Si igitur Missa alicujus mysterii petitur, v. g. Epiphaniæ, quæ tamquam votiva non fuit concessa, una ex concessis dicenda est, v. g. de Ss. Trinitate, cum intentione colendi speciali modo mysterium illud, pro quo Missa postulatur.

102. **De B. Maria V.** Missæ de B. Maria V., quæ uti votivæ dici possunt, quinque numerantur, positæ in Missali post alias votivas (cf. n. 8), et insuper de Septem Doloribus, de Immaculata Conceptione, et, pro aliquibus locis, de Purissimo Corde.

1) S. R. C. Decr. Gener. 27 Sept. 1659, n. 1130, et subsequens declaratio 17 Apr. 1660, n. 1156; 13 Junii 1676, n. 1568; Decr. Gener. 30 Junii 1896, n. 3922, §. III. n. 1.

Idcirco si petitur aliqua Missa B. Mariæ V., v. g. de Ss. Rosario, quæ tamquam votiva non fuit concessa, una ex concessis, supra indicatis, dicenda est, cum intentione colendi specialem illum titulum, pro quo Missa quæritur. Nihilominus, si qua die celebranda est Missa votiva B. Mariæ V., occurrat festum aliquod ipsius, vel aliqua ejus Octava, sive de hac Officium fiat, sive non, in hoc casu Missa dicenda est non quidem votiva, sed de occurrente festo, vel de occurrente Octava, juxta ritum illius diei [1].

103. **Pro diversis necessitatibus.** In Missali exstant tredecim Missæ pro diversis necessitatibus (cf. n. 8); at post primam ex his Missis est Rubrica, qua designatur alia Missa dicenda in die Creationis et Coronationis Papæ et ejusdem die anniversario, seu Missa ut in Cathedra B. Petri (die XVIII.

1) S. R. C. Decr. Gener. 30 Junii 1896, n. 3922, §. V. n. 1. Exemplum rei sit, quod alicubi ex Indulto, vel probata consuetudine, vel ex pia fundatione, celebretur quotannis Missa votiva de B. M. V. die III Octobris. Aliquando contingit, quod ea die occurrat Dominica I. ejusdem mensis, qua fit solemnitas Ss. Rosarii. Hoc in casu Missa ejusdem solemnitatis, non autem votiva, dicenda est. Item, si Missa illa votiva celebranda occurrit infra Octavam Annuntiationis, sive die 26 Martii, qua Officium de die II. infra eamdem Octavam fit, sive die 28, qua Officium fit de S. Joanne a Capistrano, ritus Semiduplicis et ideo permittentis Missa votivas, Missa dicenda est non quidem ex votivis, sed propria de Annuntiatione et ritu qui respondet diei infra hanc Octavam, seu cum *Gloria* et *Credo* ut infra dicemus (cf. n. 108). Vide *Ephemer. Liturg.* an. 1901, pag. 502, quæ, interpretantes Decretum Generale S. R. C. 30 Junii 1896, n. 3922, recedunt a regula hucusque tradita a pluribus Liturgistis, qui in Missis de B. Maria V. vel de Sanctis, infra eorum Octavas, concedebant *Gloria*, non vero *Credo*, nisi de Octava eadem fieret etiam integrum Officium. Cf. S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2683, ad I. et II.

Januarii), cum Oratione *Deus omnium fidelium.* Item pro *gratiarum actione*, ut habet Rubrica post Missam votivam Ss. Trinitatis, dicitur vel hæc eadem Missa, vel de Spiritu S., vel de B. Maria V., additis Orationibus, quæ illam Rubricam sequuntur, et quidem sub unica conclusione, una cum Oratione propria Missæ, si hæc est solemnis pro *re gravi*; secus, post omnes Commemorationes et ante Collectas.

104. Quod aliqua Missa tamquam votiva fuerit concessa, dignoscitur vel ex Decreto concessionis, vel ex eo quod in ipsa Missa, post Graduale, indicatur hujus mutatio, vel Tractus additio, facienda pro varia temporis ratione, si Missa eadem dicatur vel post Septuagesimam, vel tempore Paschali, uti votiva. (Cf. dicta n. 69).

105. Ritum quod spectat, quo generatim Missæ omnes votivæ celebrantur, hæc animadvertimus:

1) Color paramentorum est proprius festi. At violaceo utendum est in Missis SS. Innocentium, de Passione [1], et pro diversis necessitatibus (cf. n. 8), exceptis, ex his, prima, secunda et ultima.

2) Introitus *Gaudeamus,* quarumdam Missarum proprius, in alium, vel in Missali indicatum, vel de Communi, mutatur.

3) In Orationibus, si verba occurrunt *natalitia, festivitas* etc., ea mutantur in alia, quæ magis congruunt, seu dicitur *memoria, commemoratio;* voces autem *hodie, annua,* etc. prorsus omittuntur.

4) In Graduali, Tractu, etc. fiunt mutationes pro temporis varietate (cf. n. 69), et quæ in proprio loco

1) At in Missa de Passione quæ respondet Officio votivo, ex concessione Leonis XIII. (cf. n. 96, nota 1), utendum est rubro colore.

non habentur, ex Communi sumuntur. Sequentia (cf. n. 70) numquam dicitur.

5) Præfatio dicitur propria Missæ, si exstat; secus de Octava, si hæc occurrit; alioquin de tempore, et, his deficientibus, communis. At in Dominicis, loco communis, dicitur de Ss. Trinitate [1]. Numquam vero ea dicitur, quæ propria est Officii occurrentis, etsi hujus Commemoratio in Missa fiat (cf. n. 73).

6) Dicitur *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*, prout dictus est, vel non, *Gloria in excelsis* (cf. n. 78).

7) Evangelium in fine est semper S. Joannis: *In principio* etc.; numquam Dominicæ, feriæ, vel vigiliæ, etsi harum Commemoratio facta fuerit.

CAPUT II.

De Missis Privatis.

106. Missæ votivæ privatæ, seu quæ ex privata causa dicuntur, quamvis solemniter celebrentur, prout animadvertimus n. 97, permittuntur occurrente Officio ritus Semiduplicis vel Simplicis, sed exceptis diebus Dominicis, Octavis, feriis et vigiliis privilegiatis [2] (cf. nn. 15, 16, 17).

107. Eædem celebrantur absque *Gloria in excelsis*, exceptis votivis 1) de B. Maria V. in die Sabbato; 2) de eadem B. Maria V. infra ejus Octavam (cf. n. 102); 3) de Ss. Angelis; 4) de Sancto aliquo, cujus Missa dicitur in die sui natalitia, vel infra suam Octavam, si habet.

1) S. R. C. 18 Dec. 1779, n. 2515. ad VI; 10 Febr. 1888, n. 3683.

2) S. R. C. Decr. Gener. 30 Junii 1896, n. 3922, §. III. n. 2, §. IV. n. 1.

Orationes tres saltem exigunt, et, computatis Commemorationibus atque Collectis imperatis, attingi potest, Celebrantis arbitrio, septenarius numerus [1] (cf. n. 65). Prima autem Oratio est propria Missæ; aliæ sunt, quæ in Missa de occurrente Officio, si hæc celebraretur, forent dicendæ primo et secundo loco [2]. Excipitur 1) Missa de B. Maria V., in qua tertia Oratio est de Spiritu S.: 2) Missa de Ss. Apostolis Petro et Paulo, in qua Oratio *A cunctis*, cum hæc occurrit (tertio loco dicenda), mutatur in aliam *Concede* de B. Maria V. (cf. n. 65). Ratio utriusque exceptionis est ne bis fiat mentio B. Mariæ V. vel Ss. Apostolorum. Quare si Commemoratio aliqua occurrat, quæ tertiæ Orationis locum teneat, nulla mutatio fit.

Symbolum omittitur, etiamsi Missæ votivæ privatæ dicantur de Patrono, vel Titulari, vel, per speciale Indultum, in Dominicis, vel festis ritus Duplicis, vel infra Octavas; excepta Octava propria Sancti illius de quo Missa dicitur, in ea quippe recitatur Symbolum, sive de Sancto eodem Officium fiat, sive non, prout de Missis votivis B. Mariæ V. diximus (cf. n. 102, cum nota).

108. Missæ autem quæ concessæ fuerunt una cum respectivis Officiis votivis (cf. n. 96, nota), cum dicuntur diebus sibi adsignatis, quibus respondens unicuique Officium recitatur, sunt celebrandæ

1) S. R. C. 17 Julii 1894, n. 3832, ad VIII.

2) Si quis recitato Officio votivo loco ferialis, celebret Missam, non quidem respondentem Officio quod recitavit, sed de feria, in eadem Missa facienda est Commemoratio dicti Officii votivi. S. R. C. 30 Aug. 1892 n. 3792, ad VII. Idcirco idem servabitur si, eodem recitato Officio votivo, quævis alia celebratur Missa votiva ab Officio recitato difformis.

cum *Gloria*, tribus Orationibus, sine *Credo* et cum Evangelio feriæ, vel vigiliæ occurrentis in fine. Ex quo patet Missas easdem ex parte sequi, ex parte non sequi naturam votivarum, ut jam animadvertimus.

CAPUT III.

De Missis votivis solemnibus.

109. Missæ votivæ solemnes, scilicet et ex publica causa et solemniter celebrandæ, hæ quatuor sunt: 1) pro re gravi; 2) de festo transferendo; 3) de Ss. Sacramento, pro adoratione XL Horarum; 4) in anniversario electionis et consecrationis proprii Episcopi.

Singulæ suas habent regulas, sive quoad dies quibus permittuntur, sive quoad ritum quo celebrantur. Hæc tamen communia eis sunt: 1) habent *Gloria*, quando non adhibetur color violaceus (cf. n. 105) et *Credo*, quando dicitur *Gloria*, necnon in omnibus Dominicis [1]. 2) Commemorationes occurrentes excludunt.

110. **Missa pro re gravi.** Hæc celebranda est interveniente, vel saltem, singulis vicibus, permittente Episcopo et præsente Clero et populo, pro quadam spirituali, vel temporali necessitate gravi et publica, seu quæ fidelium communitatis aut hujus majoris partis intersit, ut esset beneficium obtinendum, v. g. pacis, pluviæ etc., vel malum avertendum, v. g. belli, pestis etc; item electio Summi Pontificis vel Episcopi, horumque atque Principis

1) S. R. C. 16 Febr. 1666, n. 1333, ad IV., et *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. XI.*

recuperanda sanitas, gratiarum actio pro iisdem beneficiis obtentis, et, apud Religiosos, electio, quæ in Capitulis fit, Superioris sive Generalis, sive Provincialis. Sed tamquam graves causæ non habentur vestitio vel professio religiosa, electio Abbatissæ, prima neosacerdotis Missá, vel hujus quinquagesimum anniversarium, solemnitas alicujus Sancti vel mysterii extra suam diem, quamvis infra ejus Octavam [1]. Cæterum, in dubiis, gravitas causæ judicio Episcopi declarabitur.

III. Missa hujusmodi dici potest, et quidem post Conventualem, ubi hujus est onus, diebus omnibus non exceptis. Excipiuntur autem: Festa ritus Duplicis I. classis; Dominicæ privilegiatæ I. classis (n. 15); feriæ privilegiatæ (n. 17); vigiliæ Nativitatis Domini ac Pentecostes.

Porro, diebus non exceptis, Missa dicitur ex iis quæ, tamquam votivæ concessæ, in Missali reperiuntur, sive de Sanctis, sive de mysteriis, sive assignata pro speciali necessitate, vel, si hæc desit, quæ inscribitur: *Pro quacumque necessitate.*

Eadem celebranda est cum *Gloria*, nisi tamen color violaceus sit adhibendus (cf. n. 105), *unica* [2] Oratione propria (cui, pro gratiarum actione, adjungitur, sub eadem conclusione, Oratio *Deus cujus misericordiæ*) (cf. n. 103) et *Credo*, quando dictus est *Gloria*, nec non in omnibus Dominicis (cf. n. 109). Quoad cætera, cf. n. 105.

Diebus vero exceptis, Missa celebratur conformis Officio occurrenti, addita Oratione, quæ est

1) Cf. S. R. C. Decr. Gener. 30 Junii 1896, n. 3922, §. II. n. 1, §. IV. nn. 1 et 2, et resp. 24 Julii 1660, n. 1174.
2) S. R. C. 23 Apr. 1875, n. 3352, ad VI; 7 Aug. 1875, n. 3365, ad IV.

Missæ votivæ propria, sub una conclusione et, sub alia, adjectis Commemorationibus, si quæ vi Rubricarum sint præscriptæ.

112. **Missa de festo transferendo.** Contingere potest quod festum sive Patroni loci, sive Titularis alicujus Ecclesiæ, aut consecratæ, aut solemniter benedictæ, vel etiam quodcumque, ad quod celebrandum accedere solet extraordinarius [1] populi concursus, nequeat, propter occurrentiam præstantioris Officii, sua die celebrari, a qua debeat in aliam, juxta Rubricas, transferri. Tunc potest, in ipsa die propria, solemnitas externa identidem fieri, imo, diebus quibusdam exceptis, solemniter quoque celebrari Missa votiva de eodem festo transferendo.

Excipiuntur autem : Festa potiora Domini, ritus Duplicis I. classis, seu Nativitatis, Epiphaniæ, Paschatis cum biduo sequenti, Ascensionis, Pentecostes cum biduo sequenti et Corporis Christi ; Dominicæ privilegiatæ I. classis (n. 15) ; feriæ privilegiatæ (n. 17) [2].

Diebus non exceptis, Missa dicitur ut in ipso die festo, cum *Gloria*, *unica* Oratione [3], et *Credo*. Quoad cætera, cf. n. 105.

Diebus vero exceptis, Missa celebranda est de occurrenti Officio, prout jacet, nulla adjecta Commemoratione festi transferendi, de quo fit extrinseca solemnitas [4].

113. **Missa pro adoratione XL Horarum.** Cum Ss. Sacramentum exponitur pro adoratione XL Horarum, juxta Instructionem jussu Clementis XI. a.

1) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 2769, ad VIII.
2) *Miss. Rom. Rubr. Gener.* (reform.) *Tit. VI.*
3) S. R. C. 29 Januar. 1752, n. 2417, ad VII ; 7 Aug. 1875, n. 3365, ad IV.
4) S. R. C. 16 Apr. 1853, n. 3009, ad II.

1795 editam, pro usu Ecclesiarum Urbis [1], cumque illud, adoratione absoluta, reponitur, celebratio permittitur unius Missæ votivæ solemnis de eodem Ss. Sacramento, diebus non exceptis.

Excipiuntur quidem: Festa ritus Duplicis I. et II. classis; Dominicæ privilegiatæ I. et II. classis (n. 15); dies infra Octavas privilegiatas Epiphaniæ, Paschæ et Pentecostes; feriæ privilegiatæ (n. 17).

Diebus non exceptis, Missa dicitur de Ss. Sacramento, quæ est inter votivas in quarta parte Missalis (cf. n. 8), cum *Gloria*, *unica* Oratione, nullis adjectis Commemorationibus [2], et *Credo*. Quoad cætera cf. n. 105. Infra tamen Octavam Corporis Christi Missa dicitur hujus Octavæ propria et ut in eodem Festo, non omissa *Sequentia* (cf. n. 70).

Verum diebus exceptis, Missa dici debet conformis occurrenti Officio, adjecta Orationi diei, sub eadem conclusione, Oratione Ss. Sacramenti, omissis Commemorationibus aliis, nisi Missa sit de aliquo festo occurrente in die Dominica; tunc quippe Dominicæ ipsius fit Commemoratio sub altera conclusione et legitur Evangelium in fine [3].

114. Die medio vel secundo, cani debet Missa votiva *Pro Pace*, vel alia ex præcepto Superioris, exceptis diebus, quibus Missa Ss. Sacramenti, ut supra, prohibetur.

1) De ipsa expositione Ss. Sacramènti pro adoratione XL Horarum, secundum Instructionem Clementinam et diversas consuetudines locorum, agit fuse **Pighi**. *Lit. Sacramentor. et Sacramental. n. 109.* seqq. (edit. 3).

2) Multo magis omittendæ sunt, in Missa *de tempore,* 2. et 3. Oratio, quippe quæ, occurrentibus Commemorationibus, locum cedunt; sed non omittitur Oratio *super populum,* in feriis Quadragesimæ.

3) S. R. C. 18 Maji 1883, n. 3574, ad V.

Missa hæc est votiva solemnis et dicitur cum paramentis coloris violacei, sine *Gloria* et, nisi sit dies Dominica, sine *Credo* (cf. n. 109), cum *unica* Oratione, cui additur, sub eadem conclusione, Oratio Ss. Sacramenti.

Diebus exceptis, dicitur Missa de currenti Officio, addita, sub unica conclusione, Oratione *Pro Pace*.

Num hanc, quemadmodum et aliam Missam de Ss. Sacramento in die expositionis et repositionis, liceat canere diebus supra indicatis, ubi expositio *diu noctuque* non durat, quæstio est. Generatim negant Liturgistæ; sunt qui affirmant, attendentes præcipue ad satis communem in multis locis usum, habendi tamquam veram expositionem pro adoratione XL Horarum eam, quæ per plures dies continuos, sed excepta nocte, fit [1].

De Missis privatis, quæ, hac perdurante expositione, leguntur, dicemus infra.

115. **Missa in anniversario electionis et consecrationis Episcopi.** Die anniversaria tum electionis in Concistorio [2] peractæ, tum consecrationis Episcopi proprii, potest et, accedente Episcopi mandato, debet [3], in solis Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, diebus non exceptis, celebrari, præter Conventualem, Missa votiva solemnis, quæ prostat inter votivas diversas in quarta parte Missalis (cf. n. 8).

Excipiuntur: Dies Dominici et festivi; festa ritus Duplicis I. et II. classis; dies infra Octavas

1) Cf. *Ephem. Liturg.* an. 1901, pag. 646 et **Pighi** l. c.

2) S. R. C. 16 Apr. 1886, n. 3661, ad III. Dies Concistorii attenditur licet ante ipsum et Bullæ datæ fuerint et possessio Diœcesis accepta sit, ut in locis Missionum contingit. S. R. C. 13 Dec. 1895, n. 3876, ad VIII.

3) S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 3078, ad I.

privilegiatas Epiphaniæ, Paschæ et Pentecostes; dies octava Corporis Christi; vigiliæ Nativitatis Domini et Pentecostes [1].

Diebus non exceptis, Missa celebratur votiva cum paramentis albi coloris, *Gloria*, *unica* Oratione, exclusis Commemorationibus aliis, et *Credo*. Quoad cætera cf. n. 105.

Ast diebus exceptis, in ipsa Missa Conventuali, quæ ordinario canitur de occurrenti Officio, Orationi primæ additur, sub una conclusione, Collecta pro Episcopo, quæ tamen omittenda est in festis ritus Duplicis I. classis.

116. Extra Cathedralem, in Ecclesiis etiam exemptis, Missa votiva non celebratur, ne ritu quidem permittente Missas votivas privatas [2], sed in omnibus Missis, sive lectis, sive cantatis, exceptis festis ritus Duplicis I. classis, additur Collecta pro Episcopo, post alias occurrentes Commemorationes; sed in festis ritus Duplicis II. classis ea unitur Orationi principali, vel Commemorationi, si quædam occurrit, sub eadem conclusione [3].

Anniversarium hujusmodi per accidens impeditum perpetuo, reponitur in prima die insequenti libera [4].

Item anniversarium creationis et coronationis R. Pontificis per solam Collectam in Missis recolitur, et eo occurrente cum anniversario electionis vel consecrationis Episcopi, hoc transfertur [5].

1) *Cæremon. Episcop. L. II. c. XXXV.* et S. R. C. 18 Maji 1883, n. 3575, ad IV. et VI.
2) S. R. C. 12 Sept. 1840, n. 2823, ad II.
3) S. R. C. 18 Maji 1883, n. 3575, ad V. et VII.; 6 Febr. 1892, n. 3764, ad II.
4) S. R. C. 12 Dec. 1891, n. 3762; 30 Aug. 1892, n. 3792, ad II.
5) S. R. C. 20 Dec. 1864, n. 3132.

CAPUT IV.

De Missa pro sponso et sponsa.

117. Ultimo loco, inter Missas votivas, in quarta parte Missalis insertas, ponitur ea quæ inscribitur *Pro sponso et sponsa* [1].

Hæc Missa, cum a ritu permittitur, dicenda est in nuptiarum solemnibus; sed est semper privata, licet per accidens forte cum cantu, vel etiam cum Ministris, celebretur (cf. n. 97). Quare eo ritu semper dicenda est, qui est determinatus pro Missis votivis privatis.

Missa *Pro sponso et sponsa* continet etiam solemnem benedictionem nuptialem, quæ ab ea, vel ab alia Missa numquam separari potest, neque ab alio, quam a Missam celebrante, dari debet [2]. At tempore clauso (quod est a Dominica I. Adventus ad diem Epiphaniæ, et a Feria IV. Cinerum ad Dominicam in Albis inclusive) quemadmodum solemnis nuptiarum benedictio, ita Missa votiva eam continens, imo et hujus Commemoratio prohibetur. Tempore autem non clauso, solemnis benedictio datur, sed Missa modo est votiva *Pro sponso et sponsa*, modo est de currenti die, cum Collecta desumpta ex eadem Missa votiva.

118. Dicitur Missa votiva diebus non exceptis. Excipiuntur autem: Dies Dominici et festivi de præ-

1) Cf. de hac Missa quæ statuit S. R. C. Decr. Gener. 30 Junii 1896, n. 3922. §. VI.

2) Sed Missæ applicatio pro sponsis, qui nullam pro ea celebranda obtulerunt eleemosinam, non præcipitur. S. R. U. Inquis. 1 Sept. 1841.

cepto, imo et suppressi ubi Missa applicanda est pro populo; festa ritus Duplicis I. et II. classis, necnon dies Duplicia hæc excludentes, qui, tempore non clauso, sunt dies infra Octavas Epiphaniæ, Pentecostes et Corporis Christi, (ubi hæc ad instar octavæ Epiphaniæ ex Indulto celebratur, secus dies tantum Octava) et vigilia Pentecostes; dies Rogationum, ubi harum Missa dicenda est; dies Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum [1].

His diebus non occurrentibus, Missa votiva *Pro sponso et sponsa* dicitur cum paramentis albi coloris, sine *Gloria* et *Credo*, cum tribus saltem Orationibus, quarum prima ipsius Missæ propria, secunda de Officio diei, tertia quæ in Missa de die foret secunda, vel, si hæc desit, propria temporis.

Illis e contra occurrentibus diebus, Missa dicitur quæ Officio diei respondet, addita, sed numquam sub unica conclusione cum prima Oratione, Collecta pro sponsis, post alias Commemorationes, si quæ occurrunt, et ante quascumque Collectas.

119. Quoniam tempore clauso, nec Missa votiva *Pro sponso et sponsa* dicitur, nec hujus Commemoratio fit, nec benedictio solemnis datur, si qui tamen, tempore eodem perdurante, nuptias, de licentia Episcopi et sine solemnitate, contraxerunt, ii adhortandi sunt ut quamprimum denuo conveniant in Ecclesiam, ibique benedictionem, quam nondum receperunt, accipiant infra Missam votivam *Pro sponso et sponsa*, si dies occurrens eam permittit, ut supra vidimus, vel de die cum Collecta ex

1) Cf. S. R. C. Decr. Gener. 9 Julii 1895, n. 3864. III.

eadem Missa votiva. At omnia hæc omittuntur, si mulier vidua est et in nuptiis præcedentibus benedictionem solemnem jam accepit [1].

CAPUT V.

De Missa Rogationum.

120. Rogationes, seu Supplicationes, quæ *Litaniæ* etiam nuncupantur, bis in anno obtinent, seu die 25 Aprilis in festo S. Marci, quamvis hoc transferatur, et in triduo quod festum Ascensionis immediate antecedit. Quæ prima vice fiunt, dicuntur *majores*; quæ altera vice, *minores* [2].

121. Ubi Processio Rogationum fit, sive ex præscripto, ut in Ecclesiis Cathedralibus [3], sive ex usu, ut in aliis Ecclesiis, celebranda est, diebus non exceptis, una tantum Missa, vel cum cantu, vel saltem lecta, quæ inscribitur: *In Litaniis majoribus*, et exstat in Missali post Missam Dominicæ V. post Pascha. Hujusmodi Missa celebratur vel Processione peracta, vel, si aliter commoditas fidelium postulat, in illius decursu, aut etiam ab initio [4], et per eam satisfit etiam obligationi applicationis pro populo (cf. n. 94. nota 1).

Excipitur autem: 1°. Dies qua in Ecclesia festum occurrit Patroni vel Titularis; nisi hoc inci-

1) S. R. U. Inquis. Decr. Gener. 31 Aug. 1881. Plura de ritu nuptiali vide apud **Pighi.** *Lit. Sacramentor. et Sacramental. P. I. Tit. VI.* (edit. 3.)

2) Cf. **Pighi.** l. c. *n. 291* et seqq. ubi fuse de Processione.

3) *Cæremon. Episcopor. L. II. c. XXXII.*

4) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2319, reliq. dub. ad XX.

dat in primo triduo Paschæ, quo Sanctorum Missæ prohibentur; 2°. Feria II. Paschæ.

Diebus non exceptis, Missa Rogationum, tamquam votiva privata, celebratur cum paramentis coloris violacei, prout jacet in Missali, sine *Gloria* et *Credo*, etiam in Dominica vel infra Octavam Paschæ, sine ulla Commemoratione, cum Collectis imperatis et Præfatione Paschali. Ubi tamen una tantum Missa celebratur, hæc exigit Commemorationem festi occurrentis, vel Dominicæ, vel Octavæ, cum tertia Oratione *Concede*, et Præfationem Octavæ propriam.

Diebus vero exceptis, Missa celebratur de occurrenti Officio, cum Commemoratione Rogationum sub unica conclusione.

Cæteræ Missæ dicuntur de currenti Officio, et quidem in Litaniis majoribus sine Collecta Rogationum; in Litaniis minoribus, cum Collecta eadem, quæ tamen in feria II., quia major est (cf. n. 17) semper additur; in feria III. et IV. cum non occurrit Duplex I. classis (cf. n. 66).

CAPUT VI.

De Missa translatæ solemnitatis.

122. Sæpe contingit alicujus festi, præsertim Patroni, vel Titularis, vel quod speciali quadam devotione et pompa celebratur, solemnitatem externam, quæ ut plurimum consistit in Ecclesiæ ornatu, in acquisitione Indulgentiæ adnexæ, in celebratione Missæ solemnis et cantu Vesperarum, etc., peragi extra diem proprium, et transferri aut

in proximam vel aliam Dominicam, aut etiam in diem alium non festivum.

123. Externæ hujus solemnitatis translatio fieri potest, ex causa non levi [1], auctoritate Ordinarii, cum suis etiam novendialibus aliisque publicis precibus; eâque peracta, omnes etiam Indulgentiæ ejus intuitu concessæ, sive ab eodem Episcopo, sive a R. Pontifice, tum partiales, tum plenariæ, translatæ pariter censentur in diem, qua dicta solemnitas peragitur [2]. Non tamen Missa celebrari potest de eodem festo, quod sic transfertur, nisi dies occurrat qua Missæ votivæ privatæ permittuntur (cf. n. 106). Hac vero die non occurrente, Missas, sive solemnem, sive privatas, de translata solemnitate, celebrare licet tantum ex Indulto S. Sedis [3], quæ solet illud quosdam intra limites concedere.

Ordinario, limites Indulti sunt. 1.° *Quoad Missam solemnem,* excipiuntur dies ritus Duplicis I. classis et qui hunc ritum excludunt, ac Dominicæ privilegiatæ I. classis (cf. n. 15); 2.° *Quoad Missas privatas*, excipiuntur etiam dies ritus Duplicis II. classis, Dominicæ, feriæ, Octavæ privilegiatæ et vigiliæ Nativitatis, ac Pentecostes (cf. nn. 15, 16, 17). 3.° Omitti non debet Missa Conventualis, vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi est onus.

Attamen ad Indulti tenorem semper est attendendum, cum ejus limites plus minusve coarctari vel extendi possint.

124. Posita unius, vel plurium Missarum votivarum concessione, regulæ exponendæ sunt, juxta quas illæ celebrari debent.

1) S. R. C. 16 Junii 1893, n. 3804, ad IX.
2) S. C. Indulg. 9 Aug. 1852, n. 360.
3) S. R. C. 13 Febr. 1892, n. 3767, Dub. XXIX. ad 18.

Inhærentes autem Decretis S.R.Congregationis, putamus duplicem distingui posse hypothesim. Prima est, quod solemnitas transferatur in proximam Dominicam ; altera est, quod solemnitas transferatur in aliam diem infra annum.

125. In prima hypothesi applicandum videtur Decretum [1], quo declaratur Indultum reductionis festorum concessum Reipublicæ Gallicæ, initio sæc. XIX. Etenim Decretum hujusmodi, ceu in eodem edicitur, continet dispositiones servandas « in omnibus et singulis Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, imo et in quibuscumque Oratoriis publicis, in quibus Missa cantari solet. »

Porro in eodem decernitur : « Pro solemnitate, quæ transfertur, nonnisi unica Missa intelligitur, more votivo canenda, ut in Festo, cum *Gloria*, una tantum Oratione, *Credo* et Evangelio S. Joannis in fine : ubi tamen non adsit Missæ Conventualis obligatio, addatur sola Commemoratio Dominicæ sub distincta conclusione, ejusque Evangelium in fine. » Ubi autem Missa Parochialis est, quæ, uti vidimus Officio diei conformis esse debet (cf. n. 94 et n. 123) hanc sufficere ut in Missa solemni omitti possit Commemoratio et Evangelium Dominicæ, autumamus [2].

Missæ privatæ, si et hæ de solemnitate translata conceduntur, eodem modo dicuntur ac solemnis, sed Oratio Officii diei et omnes Commemorationes occurrentes adjiciuntur [3].

126. In altera hypothesi, Missa solemnis celebratur pariter cum *Gloria*, *Credo* et Evangelio S. Joannis in fine ; at quoad Orationes, *unica* dicitur, si alia

1) S. R. C. Decr. 2 Dec. 1891, n. 3754.
2) Cf. *Ephem. Liturg.* an. 1901, pag. 112.
3) S. R. C. 7 Aug. 1875, n. 3365, ad IV.

celebratur Missa Officio diei conformis ; secus, Orationem ejusdem Officii diei et occurrentes Commemorationes in solemni dicere oportet [1].

Missæ privatæ eodem modo celebrantur, numquam omissis Oratione Officii diei et Commemorationibus occurrentibus.

CAPUT VII.

De Missa Ss. Cordis Jesu.

127. Duplex, quoad Missam votivam Ss. Cordis Jesu, exstat Indultum.

Indultum Primum : « Firmiter manente festo Ss. Cordis Jesu affixo feriæ VI. post Octavam Corporis Christi, quotannis recolendo cum Officio et Missa propriis juxta Rubricas et Decreta, ejusdem festi externam solemnitatem, in aliam diem a Rmis Ordinariis locorum designatam, posse in unoquoque anno transferri, etiam cum privilegio celebrationis Missæ propriæ de ipsomet Ss. Corde Jesu : hoc autem privilegium, juxta praxim S. R. Congregationis, excludi, quoad Missam solemnem, a Duplicibus I. classis et a Dominicis privilegiatis item I. classis ; at quoad Missas lectas, etiam a Duplicibus II. classis, necnon a Dominicis, feriis, vigiliis, octavisque privilegiatis, atque ea sub lege illud adhiberi posse, ut nunquam omittatur Missa Conventualis vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit obligatio ; et serventur Rubricæ [2]. »

1) S. R. C. 7 Aug. 1875, n. 3365, ad IV.
2) S. R. C. 23 Julii 1897, n. 3960.

Hæc Missa dicitur ut in festo, cum *Gloria* et *Credo*, factis mutationibus, quas temporis ratio exigit, in Graduali, et quoad *Alleluja* addendum, vel omittendum ad Introitum, Offertorium et Communionem.

Quoad Orationes, erunt applicanda quæ, pro duplici hypothesi, in præcedenti capite exposuimus.

128. **Indultum alterum**: « In iis Ecclesiis et Oratoriis, ubi feria VI. quæ prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia pietatis, in honorem Divini Cordis, approbante loci Ordinario, mane peragentur; Beatissimus Pater indulsit, ut hisce exercitiis addi valeat Missa votiva de Sacro Corde Jesu; dummodo in illam diem non incidat aliquod festum Domini, aut Duplex I. classis, vel feria, vigilia, octava ex privilegiatis: de cetero servatis Rubricis [1]. »

Ut igitur hæc Missa dici possit, requiritur in primis ut pia quædam exercitia, mane, non vespere tantum, peragantur. Pia hujusmodi exercitia non consistunt in sola Missæ celebratione, quia hæc iisdem exercitiis *addi* permittitur: neque in sola populi Communione, quæ in dicta Missa fit, nam Indultum agit de piis exercitiis peragendis *approbante loci Ordinario*, quæ approbatio necessaria nullo modo est pro Communione distribuenda in Missa. Consistunt ergo hæc peculiaria exercitia pietatis, vel in precibus in honorem Ss. Cordis Jesu recitandis, sive ante, sive post Missam, vel in benedictione, quæ datur cum Ss. Sacramento, vel in canticis liturgicis, etc.

129. Missa de qua in casu, ex declaratione S. R. Congregationis, quamvis sit lecta, habetur tamen uti

1) S. R. C. Decr. Gener. 28 Junii 1889, n. 3712.

votiva solemnis, ideoque semper dicitur cum *Gloria*, *Credo*, *unica* Oratione et Evangelio S. Joannis in fine. Dicitur Missa *Miserebitur*, ut in festo, omisso, extra tempus Paschale, *Alleluja* ad Introitum, Offertorium et Communionem, et factis mutationibus, pro temporis ratione, in Graduali [1].

Attamen quidam dies in Indulto indicantur, ut supra vidimus, quibus ea Missa votiva minime permittitur. Inter festa Domini adnumerantur etiam ea, quibus coluntur mysteria Passionis Dominicæ et hujus Instrumenta, non vero cum de Passione Officium votivum dictum fuit. Dubium erat de Vigilia Epiphaniæ; at res decisa fuit per S. R. Congregationem, quæ ad quæsitum: « Utrum Missa votiva de Sacro Corde Jesu, per decretum *Urbis et Orbis*, diei 28 Junii 1889, indulta, dici possit feria VI., quæ prima in Januario mense occurrit, quando in illam diem incidit Vigilia Epiphaniæ? » respondit « Negative [2]. »

1) S. R. C. 20 Maji 1890, n. 3731, ad I; 20 Maji 1892, n. 3773; 6 Febr. 1892, n. 3764, ad X., ubi legendum est *affirmative* pro *negative*, ut advertit Index Generalis Collectionis Decretorum.

2) S. R. C. 28 Nov. 1891, ap. *Ephem. Liturg.* an. 1901, pag. 698. Vigilia Epiphaniæ inter privilegiatas non raro ab Auctoribus accensetur, quod et nos fecimus (cf. n. 17) exemplum sequuti cl. De Herdt. At S. R. C. cum vigilias privilegiatas nominat, non solet comprehendere vigiliam Epiphaniæ, quam utique ut majorem habet una cum vigiliis Nativitatis et Pentecostes, dum has duas tantum ceu privilegiatas tenet. Quod erat notandum, ut recte mens intelligeretur S. R. Congregationis, cum ipsa vigilias privilegiatas ab Indultis excipi declarat (cf. nn. 126, 128, 130).

Ab Indulto autem, de quo hic agimus, excipitur vigilia Epiphaniæ, quia ad festum Domini reducitur.

Etiam die, qua fit Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, Missa eadem votiva prohibetur [1].

Diebus ab Indulto exceptis, non debet Missæ diei currentis addi Commemoratio Ss. Cordis Jesu.

CAPUT VIII.

De Missa S. Aloisii Gonzagæ.

130. « Per Decretum S. C. Indulgentiarum die 22 Aprilis 1742 editum et in Actis S. R. Congregationis exhibitum die 29 Januarii 1746, ubicumque festum S. Aloisii Gonzagæ Conf. cum solemnitate fieri contigerit, dies pro eodem festo, in singulis Ecclesiis et Oratoriis, a Rmis locorum Ordinariis opportune designanda, permittitur, cum extensione, ad prædictam diem, Indulgentiæ plenariæ a Christifidelibus in forma Ecclesiæ consueta lucrandæ; et Officii et Missæ propriæ de ipso Angelico Juvene a Clero peragendæ.

Hinc a nonnullis ecclesiasticis Curiis postulatum fuit: Num, juxta praxim S. R. Congregationis, omnes Missæ propriæ de Sancto Aloisio celebrari valeant qualibet die a Rmis Ordinariis, ut in casu, designata ? Et S. R. Congregatio, referente Secretario reque mature perpensa, rescribendum censuit: Affirmative ; dummodo non occurrat Duplex I. classis, quoad Missam solemnem; aut etiam Duplex II. classis, nec non Dominicæ, feriæ, vigiliæ, octavæque privilegiatæ, quoad Missas lectas; neque omittatur Missa Conventualis, vel Parochialis Officio diei

1) S. R. C. 10 Maji 1895, n. 3855, ad II.

respondens, ubi eam celebrandi adsit onus; servatis Rubricis [1]. »

Ritum quod spectat, quo Missæ, tum solemnis, tum privatæ, celebrandæ sunt, ea revocanda esse censemus quæ diximus in Capite VI.

CAPUT IX.

De Missa in solemniis Beatificationis et Canonizationis.

131. Cum primo Servus aliquis Dei, auctoritate Ecclesiæ, cultu et honoribus Altarium augetur, in ipso Beatificationis Brevi, vel per Rescriptum S. R. Congregationis, conceditur nonnullis Ecclesiis, ut infra annum, vel minus temporis, ex quo Solemnia in Arcibasilica Vaticana celebrata fuerunt, in illis quoque eadem Solemnia peragantur, cum Officio et Missis ritus Duplicis majoris, idque per triduum ab Ordinario designandum.

132. De his triduanis Solemniis, quæ ad octiduum, cum agitur de Canonizatione, extendi possunt, Instructio sequens data est:

« Hæc triduana Solemnia consistunt in cultu et honoribus Altarium, prima vice per tres dies continuos novo alicui Beato tribuendis. Hujusmodi cultus cæremoniæ præcipuæ stricte liturgicæ sint oportet, quæ nimirum Missam solemnem et etiam, si commode fieri possit, Vesperas solemnes complectantur. Permittuntur autem præter illas et aliæ functiones ecclesiasticæ, uti preces quædam cum interposita Oratione Dominica et Angelica Salutatione, Litaniæ Lauretanæ, necnon, prævio tamen

1) S. R. C. 27 Junii 1896, n. 3918.

consensu Ordinarii, solemnis Benedictio cum Ss. Eucharistiæ Sacramento. Oratio panegirica fiat inter *Missarum solemnia* post cantatum Evangelium, quæ in casu habebitur velut Homilia; vel etiam sive ante sive post Vesperas recitari poterit. Tertia vero die non omittatur cantus solemnis *Te Deum* cum Oratione solita *pro gratiarum actione*. Hæc dispositio, quæ pariter in Octavariis solemnibus occasione alicujus Canonizationis servanda est, a Ss. D. N. Leone Pp. XIII., in audientia diei 24 Julii 1899, approbata fuit. »

133. Iis collatis, quæ tum in hac Instructione habentur, tum in Brevi Beatificationis, vel in Rescriptis S. R. C. apponi solent, ad Missam quod spectat, deduci posse censemus, Missas, tum solemnem, tum privatas, in Ecclesiis quibus Indultum favet, permitti de novo Beato, vel Sancto, tamquam votivas *pro re gravi*, unde cum *Gloria*, *Credo* et Evangelio S. Joannis in fine; solemnem autem cum *unica* Oratione, privatas cum occurrentibus Commemorationibus; idque singulis tridui, vel octidui diebus non impeditis juxta dicta n. 123. Diebus vero impeditis, Missæ omnes erunt de die cum Oratione Beati, vel Sancti, quæ additur sub unica conclusione in Duplicibus I. classis; in reliquis, sub conclusione distincta [1].

CAPUT X.
De Missa celebranda a Sacerdote cæcutiente.

134. Sacerdos cæcutiens Apostolicum Indultum potest obtinere, quo ei datur facultas quotidie cele-

1) Cf. *Ephem. Liturg.* an: 1901, pag. 272.

brandi Missam votivam B. Mariæ V., vel, si vult et ritus permittat, Missam de *Requiem*.

Clausulæ autem Indulto apponuntur hujusmodi: Orator non sit omnino cæcus; memoriter non recitet, sed ex libro; celebret in privato Oratorio, quatenus et hujus Indulto gaudeat, vel etiam in publica Ecclesia, hora tamen a populo minus frequentata; habeat assistentem sibi Sacerdotem, si eo indigere videatur; si cæcus omnino evadit, denuo recurrat ad S. Sedem, pro novo impetrando Indulto.

Nec meræ ritualitatis et styli, sed obligatorias esse in conscientia hujusmodi clausulas, declaratum fuit [1].

135. Indultarius celebrare potest quotidie, non exceptis festivitatibus B. Mariæ V., hujus Missam votivam, unam ex quinque positis inter votivas in quarta parte Missalis (cf. n. 8), seu illam quæ tempori quo celebrat respondet; nisi Indultum obtinuerit, quod omnino cæcis datur, eam, quocumque tempore, dicendi quæ quinto loco legitur, seu a Pentecoste ad Adventum.

Hæc Missa dicenda est semper sine *Gloria*, exceptis tantum Sabbatis [2], et sine *Credo*, etiam in Dominicis et festis solemnioribus; cum tribus Orationibus, prout in Missali indicatur, omissis Commemorationibus quibuscumque et Collectis imperatis.

At die Nativitatis Domini una tantum Missa votiva B. Mariæ V. dici potest [3]. Quare si Indultarius cupit tres celebrare Missas, debet, Indulto postposito, illas legere, quæ pro die illa sunt assignatæ.

1) S. R. C. 16 Martii 1805, n. 2560, ad IV.
2) S. R. C. 23 Febr. 1839, n. 2788, ad I.
3) S. R. C. 28 Apr. 1866, n. 3146, ad III. IV. V. et VI.

TITULUS VII.

DE MISSIS PRO DEFUNCTIS

Prænotanda.

136. Doctrina catholica, cui refragari nemo potest, quin hæresis labe inquinetur et extorrem se faciat a communione Ecclesiæ, ea est quam, ex Apostolorum traditione acceptam, ejusdem Ecclesiæ magisterium docuit, nempe Sacrificium Missæ, qua propitiatorium, « non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis et aliis necessitatibus, sed pro Defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis [1] » offerri.

Quamobrem Ecclesia, cujus est ritus ita componere, ut quæ interna animi fide tenemus, externa etiam professione exhibeamus [2], speciales ritus instituit, quibus vivorum pietas pro Defunctorum animabus in Purgatorio detentis excitetur et, multiplicatis suffragiis, eædem animæ juventur. Et quamplures utriusque Ecclesiæ, Orientalis nempe et Occidentalis, etiam antiquissimi SS. Patres, diserte loquuntur de usu, qui semper viguit, pro Defunctis exorandi, præsertim per Sacrificium Missæ [3].

1) *Conc. Trid. Sess. XXII. cap. II.* Cf. ibid. *can. III.* et *Catech. Conc. Trid. de Euchar.* circa finem.
2) Cf. **Lapini.** *Istituz. Liturg. Lez. XV.*
3) Cf. **Franzelin.** *De Ss. Euchar. Sacram. et Sacrif. P. II. Thes. XII.* - **Lapini.** *Istituz. Liturg. Lez. VI.*

137. Omnia, quæ pro Defunctis agenda constituta sunt, nullatenus hic exponemus. Plura enim, quæ ad Exsequias spectant, quum in Rituali tradantur, ab hujus Commentatoribus fusiori calamo exponuntur [1]. Nos, quæ Missas de *Requiem* tantum respiciunt attingemus, prout indoles fert tractationis nostræ.

CAPUT I.

De diebus, qui Defunctorum suffragiis specialiter deputantur.

138. Ecclesia, veluti pia Mater, omnes fideles, qui in sui communione ex hac vita migrarunt, amplectens, simulque sciens applicationem meritorum Christi animabus purgatorio igne detentis, pro quibus ipsa exorat, totam pendere ab inscrutabili beneplacito divinæ Bonitatis, pro omnibus et pro singulis fidelibus Defunctis et pluries offert suffragia, eaque offerendi faciliorem in dies reddit modum. Et quamvis quotidie in omnibus Sacris, quæ celebrantur, memoriam fieri jubeat Defunctorum et pro his semper applicari permittat Sacrificium Missæ, quosdam tamen dies designavit, pluribusque donavit privilegiis, ex quo illi dies *privilegiati* dicti sunt, in ordine ad Missas, vel solemnes vel privatas, emortuali ritu in iisdem celebrandas.

139. Porro dies, qui Defunctorum suffragiis specialiter deputantur, sunt: *pro omnibus* in communi, dies qua ipsorum commemoratio generalis fit, seu II. Novembris quotannis, vel, ea impedita ob occurrentiam Dominicæ aut alicujus festi cum feria-

1) Cf. **Pighi**. *Lit. Sacramentor. et Sacramental. P. II. Tit. V.* (edit. 3.)

tione, aut saltem ritus Duplicis I. classis, dies libera quæ primo inde occurrit; *pro particularibus*, alii sunt dies, qui cadaveris præsentiam supponunt, alii, qui præsentiam hujusmodi minime supponunt.

Duplex autem hac in re statuitur a Rubricis præsentia cadaveris, scilicet physica et moralis. Habetur *physica* præsentia, cum cadaver realiter adstat in Ecclesia, dum in hac funebria persolvuntur; quod contingere potest statim post mortem, usque ad sepulturam. Habetur *moralis* præsentia, cum idem cadaver non quidem realiter, sed tantum per aliquam fictionem ceu in Ecclesia exsistens censetur, quia ad hanc deferri nequit vel nequivit, sive ob civile vetitum, sive ob contagiosum morbum, sive ob aliam justam causam, ut, eo præsente, Missa exsequialis celebraretur. Id contingere potest statim post mortem, usque ad completum biduum post sepulturam, relate ad Ecclesiam illam tantummodo, in qua de jure funebria erant persolvenda.

Jamvero, dies quem Ecclesia speciali modo suffragiis deputat alicujus particularis Defuncti, hujus cadavere physice præsente, dicitur *dies obitus*, qui protenditur usque ad depositionem, seu sepulturam; ideoque et dies intermedios, licet sint plures, comprehendit, et liturgice ab ipso *die depositionis* minime distinguitur; ita ut cum de illo loquimur, de hoc quoque loqui intendamus. Dies autem quem pariter Ecclesia Defuncti suffragiis deputat, ejus cadavere moraliter tantum præsente, dicitur *pro die obitus* [1].

140. Cadavere autem nullo modo præsente, nempe nec physice, nec moraliter, tamquam privilegiati pro Defunctorum suffragiis, habentur dies tertius,

1) S. R. C. Decr. Gener. 2 Dec, 1891, n. 3755, I. et II.

septimus, trigesimus et anniversarius, qui respective computantur, prout libet, sive a die obitus, sive a die depositionis [1].

Attamen anniversarium dupliciter sumi potest, nempe stricte et late. Sumitur *stricte*, cum fit, recurrente anno, ipsa die obitus, vel depositionis, sive ex dispositione fundatoris, sive ex petitione vivorum, imo etiam alia die, quæ tamen a fundatore, semel pro semper, determinata fuit pro singulis annis. Sumitur *late*, cum fit extra diem anniversariam obitus vel depositionis; quod in duplici casu contingit, videlicet in anniversariis quæ semel in anno fieri solent a religiosis, vel ecclesiasticis, vel piis cœtibus, pro suis Confratribus defunctis, et in iis quæ, pro fidelium pietate, infra Octavam omnium Fidelium Defunctorum locum habent [2].

Accedit dies alia privilegiata, seu illa qua, prima vice, post nuntium acceptum mortis alicujus in loco dissito, Missa pro eo celebratur.

141. Neque ad superstitiosum cultum fovendum, quasi dies illi augeant Missæ fructum, iidem designati fuerunt, sed ob mysticam significationem, quam ipsa usus antiquitas consecravit.

Dies enim obitus deputatur, ut statim a pœnis Purgatorii anima eripiatur, ejusque meminit Tertullianus [3]. Dies tertia est « propter eum, qui tertia die resurrexit », ut loquuntur Constitutiones Apostolicæ [4]. Dies septima et trigesima desumuntur ex Vetere Testamento, in quo legitur quod, mortuo Jacob, ejus filius Joseph et seniores Ægypti « celebrantes exsequias, planctu magno atque vehemen-

1) S. R. C. Decr. Gener. 2 Dec. 1891, n. 3753, IV.
2) S. R. C. ibidem I. V.
3) **Tertullianus**. *Lib. De Anima. c. LI.*
4) *Constitut. Apost. c. VIII.*

ter, impleverunt septem dies [1] » ; et defuncto Moyse « fleverunt eum filii Israël in campestribus Moab triginta diebus [2]. » Demum dies anniversaria est ut quotannis memores simus animarum, si forte in Purgatorio adhuc pœnas luant, quemadmodum quotannis Sanctorum gloriam celebrari semper consuevit.

Novendialia, quæ olim in usu erant, hodie nonnisi pro R. Pontifice solent fieri.

142. Dierum, qui supra (nn. 139 et 140) recensiti sunt, tamquam privilegiati, ritus, in ordine ad Officium et Missam pro Defunctis, est Duplex, quidquid sit de ritu Officii occurrentis; cæterorum, præter illos, dierum ritus est Semiduplex.

Insuper, quum majora sint privilegia, quæ Ecclesia adnexuit Missæ solemni, quam privatis, et quo magis Missa, quæ celebratur, relationem habet ad præsentiam cadaveris; ideo maxime notandæ sunt circumstantiæ, sive quoad Missam, quæ sit vel solemnis, vel cantata, vel lecta, sive quoad cadaver, quod sit præsens, vel absens, insepultum, vel jam sepultum, et quidem aut recens, aut in sepulchreto in quo sacrum fit, aut secus.

CAPUT II.

De Missis pro Defunctis assignatis.

143. In quarta parte Missalis Romani (cf. n. 8) præsto sunt quatuor Missæ pro Defunctis.

Prima inscribitur : *In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum* et habet Orationem : *Fidelium Deus* etc. pro omnibus Defunctis.

1) *Genes. L. 10.*
2) *Deuteron. XXXIV. 8.*

Secunda est: *In die obitus seu depositionis Defuncti*, et Orationem propriam habet; sed post hanc Missam Orationes exstant substituendæ in die tertia, septima et trigesima.

Tertia dicitur: *In anniversario Defunctorum*, cum Oratione pariter propria.

Quarta titulum habet: *In Missis quotidianis Defunctorum*, eique tres assignantur Orationes, nempe: Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus, *Deus qui inter Apostolicos* etc; pro Defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus, *Deus veniæ largitor* etc.; pro omnibus Fidelibus defunctis, *Fidelium Deus*, etc. Post hanc Missam adduntur plures Orationes diversæ, pro vario Defunctorum genere.

144. Iamvero Missa prima dicenda est: 1.° Die secunda (vel tertia) Novembris ab omnibus Sacerdotibus, quamvis applicetur, ut datur facultas [1], non omnibus, sed uni vel pluribus Defunctis; nisi eadem die Missa exsequialis sit cantanda pro aliquo Defuncto, præsente hujus corpore; tunc quippe ea quæ cantatur erit secunda [2]. 2.° Die et pro die obitus, seu depositionis, tertia, septima, trigesima et anniversaria Papæ, Cardinalis, Episcopi [3] et Sacerdotis; nisi placeat pro hoc ultimo secundam dicere, sed semper mutata Oratione generali in propriam particularem, quæ inter di-

1) S. R. C. 4 Aug. 1663, n. 1275, ad IX. Hæc Missa, ex Decr. Clementis XIII. 19 Maji 1761, est privilegiata a quovis Sacerdote et ad quodvis Altare celebretur.

2) S. R. C. 14 Apr. 1646, n. 893, ad IV.; 20 Sept. 1687, n. 1788; Decr. Gener. 9 Julii 1895, n. 3864, V.

3) Idem obtinet etiam cum anniversarium fit Episcopi et Canonicorum simul. S. R. C. 20 Aug. 1901, ad I.

versas invenitur, dignitati Defuncti respondentem [1], Opinio est quorumdam, Missam eamdem dici posse, iisdem diebus, pro Principibus et Optimatibus, Oratione tamen desumpta ex aliis Missis, juxta qualitatem diei, cujus fit recordatio [2].

Secunda Missa dicitur : 1.° Die et pro die obitus seu depositionis, imo, mutatis Orationibus (cf. n. 143), die tertia, septima et trigesima cujuscumque Defuncti, illis exceptis personis ante indicatis, pro quibus prima dicitur Missa. 2.° Iisdem diebus et insuper die anniversaria pro simplici Sacerdote, loco Missæ primæ (cf. n. 144), dummodo pro ipso Oratio propria omnino adhibeatur *Deus qui inter Apostolicos* [3].

Tertia Missa dici debet : 1.° In anniversario stricte sumpto cujuscumque Defuncti, illis adhuc personis exceptis pro quibus prima sumenda est. 2.° In anniversariis late sumptis, quæ a Capitulis, piis Sodalitatibus etc. celebrari solent [4], Oratione congrua ex diversis sumpta. Eadem Missa dici potest in anniversario ab obitu simplicis Sacerdotis, loco primæ, vel secundæ, servata clausula Orationis propriæ, ut supra.

1) In Oratione pro Cardinali non attenditur ad characterem Episcopalem, Sacerdotalem, vel Diaconalem, quo est insignitus, sed ad ordinem quem tenet in Cardinalatu. S. R. C. 23 Sept. 1885, n. 3642. ad IV.

2) **Guyetus.** *L. IV. c. XXIII. q. XXVII.* Ratio, ob quam pro his personis in dignitate constitutis dicitur prima Missa, est quia, ut ait Amalarius, *quæ raro adhibentur, pretiosa reputantur*, et Missa illa nonnisi semel in anno dici solet.

3) S. R. C. 29 Januar. 1752, n. 2417, ad VIII.

4) S. R. C. 5 Martii 1870, n. 3213, ad V. Cf. *Ephem. Liturg.* an. 1900 pag. 168. At in anniversariis late sumptis, quæ pro fidelium pietate, infra Octavam omnium Fidelium Defunctorum, locum habent, censemus aptius dici primam Missam cum congrua Oratione.

Quarta Missa semper dicitur extra præfatos dies privilegiatos, et quidem pro Defunctis cujuscumque conditionis et dignitatis, etiam episcopalis vel papalis.

145. Notanda est Rubrica posita post quartam Missam: « Epistolæ et Evangelia, superius posita in una Missa pro Defunctis, dici possunt etiam in alia Missa similiter pro Defunctis. » Liberum igitur fit Celebranti, unam ex quatuor dicenti Missam, sumere Epistolam, vel Evangelium, vel utrumque ex alia earumdem, et quoniam cæteræ partes Missæ, præter Orationes, sunt omnibus communes, patet totam *necessariam* distinctionem inter Missas esse in Orationibus, et ad has reduci omnes quæstiones circa Missæ qualitatem. Innuit tamen cl. De Herdt [1] convenire ut in unaquaque Missa servetur sua Epistola suumque Evangelium, quia non nisi ob quamdam congruitatem unicuique Missæ assignata sunt. Et necessario id faciendum videtur cum alia Rubrica particularis Missam nominatim assignat, ut certis diebus pro Papa, Cardinali, Episcopo [2]. (cf. n. 144)

CAPUT III.

De ritu Missarum pro Defunctis.

146. Missæ de *Requiem* esse possunt vel solemnes, vel cantatæ, vel privatæ. In ordine autem ad privilegia quibus donantur, cantatæ et aliquando

1) **De Herdt.** *S. Lit. Praxis. Tom. I. n. 53.*
2) Cf. S. R. C. 31 Maji 1817, n. 2578, ad XII.; 5 Mart. 1870, n. 3213, ad V.

etiam privatæ, ut in exsequiis pauperum, æquiparantur solemnibus.

Præter ea quæ generatim diximus (Tit. IV. Cap. I.) de Missa solemni et cantata, hæc adnotamus, quæ Missas solemnes et cantatas de *Requiem* respiciunt:

1. *Quoad Celebrantem et Ministros.* Missa cantari potest a Sacerdote diverso ab illo, qui Officium antea persolvit; non autem diverso ab eo qui postea absolutionem cadaveris est peracturus, nisi hic sit Episcopus Ordinarius [1]. Si Missa sed legatur tantum, quamvis præsente cadavere, adhiberi nequeunt Ministri sacris paramentis induti [2].

2. *Quoad cantum.* Omnia quæ precationem suffragii respiciunt, ipsa Sequentia *Dies iræ* et Offertorio non exceptis, canenda sunt: secus Missa non celebranda [3]. Item « in *Officiis* Defunctorum organa non pulsantur; in *Missis* autem, si musica adhibeatur, silent organa, cum silet cantus [4]. »

3. *Quoad cæremonias.* Ad Altare, quod esse debet ornatum pallio coloris nigri, vel, si in eo asservatur Sacramentum, violacei, nullis positis vasis florum, aut Reliquiariis inter candelabra, quæ sex aut quatuor saltem cum candelis accensis sint, accedunt Celebrans et Ministri, vel, si Missa est cantata tantum, Clerici duo, aut unus, cum cotta, præcedentibus luminaribus accensis [5], si Missa est solemnis, at

1) S. R. C. 21 Julii 1855, n. 3035, ad III.; 12 Aug. 1854, n. 3029, ad X.

2) S. R. C. 6 Febr. 1858, n. 3066, ad I.

3) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2959, ad II.; 9 Maji 1857, n. 3051, ad I.

4) *Cæremon. Episcop. L. I. c. XXVIII, n. 13;* S. R. C. 26 Sept. 1868, n. 3183.

5) *Miss. Rom. Rit. serv. in celebr. Missæ. Tit. II. n. 5,* cui non derogatur per *Tit. XIII. De his quæ omittuntur in Missa pro Defunctis.*

sine thuribulo. Incensationes omnes omittuntur in Missa cantata sine Ministris; in solemni fit tantum incensatio Altaris et Celebrantis ad Offertorium, cæteris omissis. Celebrans neque Subdiacono benedicit post Epistolam, neque Diacono ante Evangelium, et manum suam aut res, etiam sacras, uti Calicem et Patenam, quæ ipsi traduntur, deosculari numquam permittit. Ad cantum Sequentiæ *Dies iræ* omnes sedere possunt. Post incensationem, ad Offertorium factam, Ministri accedunt cum ampulla aquæ et manutergio pro ablutione, et dum elevatur Sacramentum, hoc incensatur a Subdiacono in cornu Epistolæ, incenso prius in ignem immisso non a Subdiacono, sed ab aliquo Clerico, vel ab ipso thuriferario [1]. Dicto *Agnus Dei*, non datur pax.

147. Numerum Orationum quod spectat, hæc teneto: Una Oratio dicitur in Missis sive solemnibus, sive cantatis, sive lectis, quæ celebrantur in diebus privilegiatis et ritus, quoad Defunctos, Duplicis (cf. n. 142) [2]. Tres Orationes dicuntur in omnibus pariter Missis, quæ celebrantur extra dies privilegiatos, et ideo quotidianæ sunt et

1) *Cæremon. Episcopor. L. I. c. XXIII, n. 18 et L. II. c. VIII. n. 70.* Cf. *Ephem. Liturg.* an. 1899 p. 463.

2) Quod statuitur Decreto Generali 30 Junii 1896, n. 3920. I. unam tantum Orationem esse dicendam in Missis quæ diebus privilegiatis dicuntur « nec non quandocumque pro Defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat; uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitus, et in Anniversariis late sumptis, » non ita est intelligendum, ut Missam *solemniter* celebrari significet eam cum Ministris sacris celebrandam esse, et *quoties* ita celebratur unam Orationem in ea præscribi; sed tunc *solemniter* celebrari, cum id fit diebus privilegiatis, seu ritus, pro Defunctis, Duplicis, quamvis sine Ministris, imo et sine cantu, Rubricis permittentibus, Missa celebretur.

ritus Semiduplicis. Hujusmodi tres Orationes dicuntur prout jacent in Missali, si Missa applicatur Defunctis in genere, quin aliquis vel aliqui sint certo designati. Quod si applicatur uni vel pluribus, designatis v. g. ab offerente eleemosynam, vel ab ipso Celebrante, qui debeat celebrare pro uno, vel pro una, vel pro membris alicujus familiæ aut sodalitatis etc., quamvis ipsi noti non sint, tunc Oratio prima debet esse propria illius, vel illorum pro quibus celebratur; secunda potest esse ad libitum Celebrantis, unde etiam pro illis pro quibus non applicat Missam; tertia debet esse generalis *Fidelium Deus*. In Missis autem lectis tantum quæ extra dies privilegiatos dicuntur, datur facultas alias addendi Orationes, ita ut ex omnibus numerus compleatur quinarius vel septenarius, et semper posita ultimo loco quæ generalis est *Fidelium Deus*.

Ad litteram N., quæ in aliquibus Orationibus invenitur, exprimitur nomen, si notum est, Defuncti; non vero cognomen aut dignitatis titulus, nisi hic in ipsa Oratione indicetur, ut pro Papa, Cardinali, Episcopo et Sacerdote. Ubi littera N. non adest, nomen non exprimitur.

148. Quod denique ad Sequentiam *Dies iræ* attinet; ea semper dicenda est in Missis quibusvis, sive solemnibus, sive cantatis, sive lectis, quæ diebus privilegiatis celebrantur, seu in quibus unica Oratio dicitur (cf. n. 147). In Missis, quæ extra præfatos dies celebrantur, seu in quotidianis, si solemnes sunt aut cantatæ, pariter Sequentia est dicenda; si sunt lectæ, ea potest dici, vel omitti, ad libitum Celebrantis [1].

1) S. R. C. Decr. Gener. 30 Junii 1896, n. 3920. IV.

CAPUT IV.

De diebus Missam prohibentibus cadavere præsente.

149. Distinximus jam duplicem cadaveris præsentiam, idest physicam et moralem (cf. n. 139). Verum, sive uno, sive altero modo sit præsens cadaver, potest, pro una tantum vice, Missa solemnis, vel cantata, imo et lecta, si agatur de paupere defuncto, cujus familia impar est solvendo expensas Missæ exsequialis cum cantu [1], celebrari aut ipso die obitus, vel depositionis, aut aliquo ex duobus, qui obitum vel sepulturam integri sequuntur.

Excipiuntur tamen festa *solemniora*, sive feriata, sive non, tum universalia, tum particularia, quæ ritu Duplici I. classis potiuntur. Hæc quidem sunt: Dominica Paschæ et Pentecostes; festa Nativitatis D. N., Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Joseph, Ss. Petri et Pauli et Omnium Sanctorum; triduum alterum Majoris Hebdomadæ; festum Anniversarii Dedicationis propriæ Ecclesiæ, Patroni loci et Titularis Ecclesiæ. Quod si unum ex dictis festis alicubi a populo celebretur in die Dominica sequenti, in quam solemnitas ex indulto transferatur, hanc tantum diem afficit exceptio [2]. Item excipiuntur dies, quibus et donec Ss. Eucharistia so-

1) S. R. C. 9 Maji 1896, n. 4024.
2) S. R. C. 6 Martii 1896, n. 3890, ad I.; 16 Nov. 1898, n. 4003, ad I.

lemniter exposita habetur; necnon omnes dies, quibus ab unico, qui in Ecclesia aliqua exstat, Sacerdote, Missa celebrari debet aut pro populo, aut Rogationum, aut Vigiliæ Pentecostes [1].

150. Quod si per totum temporis decursum, qui est ab obitu ad expletum biduum post sepulturam, nulla dies libera inveniatur ad celebrandam Missam exsequialem, hæc dici potest die quæ prima inde occurrit, exceptis: Festis ritus Duplicis I. et II. classis; festis de præcepto; diebus qui excludunt Duplicia I. et II. classis [2]; Ecclesiis ubi exposita est solemniter Ss. Eucharistia; Ecclesiis Parochialibus, cum Parochus debet Missam celebrare pro populo, vel Rogationum, vel Vigilia Pentecostes.

Quæres: Num in exhumatione unius, vel plurium cadaverum, quæ in Cœmeteriis solet fieri post tempus a lege statutum, possit Missa solemnis celebrari, tamquam præsente cadavere? Resp.: Negative, nisi ritus diei Missas omnes votivas permittat. Missa enim præsente cadavere conceditur tantum die et pro die obitus vel depositionis, quibus elapsis privilegium perit. Absolutiones tamen minime prohibentur, quæ fieri possunt post decantatum Officium emortuale, sed ante Missam de festo occurrenti [3].

151. Insuper cadavere aut physice, aut moraliter præsente, permittuntur Missæ privatæ ut in die obitus: 1.° in una tantum Ecclesia, vel publico Oratorio, ubi nempe et qua die funebria cum Missa

1) S. R. C. Decr. Gener. 2 Dec. 1891, n. 3755, I.

2) Quare excipiuntur etiam: Dies infra Octavas Paschæ, Pentecostes et Epiphaniæ, dies Octava Corporis Christi, feriæ privilegiatæ et vigiliæ Nativitatis et Pentecostes.

3) Cf. *Ephem. Liturg.* an. 1892, pag. 42, et *Il Monit. Eccl. Ser. I. P. I. pag. 238.*

exsequiali, solemni, vel cantata, vel lecta, cum de paupere agitur, de jure persolvuntur; 2.° in Oratoriis privatis et in Sacellis ad Seminaria, Collegia et Religiosas vel pias Communitates spectantibus, quæ exsistunt in ædibus ubi cadaver degit. Ab hac tamen concessione excluduntur dies omnes festivi de præcepto, et illi qui sunt ritus Duplicis I. classis, vel qui hunc ritum expungunt [1].

Hujusmodi Missæ privatæ, etiam ubi funus cum Missa exsequiali peragitur, toto mane possunt celebrari, sive ante, sive post Missam solemnem, vel cantatam, sive hac perdurante, et plures si agitur de Ecclesiis, vel Oratoriis publicis aut semipublicis. Sed in privatis Oratoriis, in quibus una tantum Missa quotidie celebranda de more indulgetur, una pariter tantum dici potest de *Requiem*, juxta superiorem concessionem. Num vero in his, quousque cadaver domi jacet [2], liceat singulis diebus, ut supra non impeditis, Missam illam celebrare, an e contra una solummodo in aliqua ex illis diebus legi possit, non est definitum; et ipsa S. R. Congregatio interrogata: « Utrum quilibet Sacerdos possit unam tantum Missam de *Requiem* celebrare, vel plures, diversis diebus, dummodo cadaver sit insepultum non ultra biduum? » respondit: « Stetur Decretis » [3]. Porro Decreta favere videntur pluralitati Missarum.

Certum tamen est Missas privatas applicari debere pro Defuncto, cujus gratia eæ permit-

1) S. R. C. Decr. Gener. 19 Maji 1896, n. 3903, 12 Januar. 1897, n. 3944, ad III.; 3 Apr. 1900, ad I. Quare a concessione excluduntur etiam Vigiliæ Nativitatis Domini et Pentecostes, dies octava Epiphaniæ, dies infra Octavas Paschæ et Pentecostes et feriæ privilegiatæ.

2) S. R. C. 3 Apr. 1900, ad IV.

3) S. R. C. ibid. ad III.

tuntur; posse etiam earum celebrationem repeti si dies intermedii occurrunt permittentes Missas omnes votivas privatas.

Si autem contingat Missam exsequialem transferri debere ultra biduum a sepultura, juxta dicta n. 150, non ideo, qua die ea inde celebratur, possunt et privatæ Missæ legi, ex concessione supra indicata, nisi de die agatur, quæ pariter Missas omnes votivas permittit.

152. Specialis concessio facta est pro Episcopis, Vicariis Apostolicis et Prælatis jurisdictionem habentibus ordinariam; ut nempe, ipsis vita functis, dum eorum cadaver in propriæ Ædis aula majori publice et solemniter jacet expositum, possint in illa, per totum mane, Missæ de *Requiem* in ipsorum suffragium celebrari, nulla die excepta. Quo privilegio etiam Episcopi Titulares fruuntur, dummodo eorum cadaver in aula convenienti exponatur præscriptis vestibus indutum [1]. Patet hic agi de cadaveris expositione, deque Missarum celebratione, non in Ecclesia facta, sed in aula habitationis, et in territorio propriæ jurisdictionis, si de Ordinariis agitur.

CAPUT V.

De diebus Missam prohibentibus cadavere absente.

153. Præter casum n. 150 indicatum, Missam de *Requiem* celebrari cadavere absente, scilicet nec physice, nec moraliter præsente, contingere potest, cum nuntium accipitur mortis alicujus in loco dissito; item die tertia, septima, trigesima et

1) S. R. C 3 Apr. 1894, n. 3822.

anniversaria, ac demum extra hos dies. In singulis casibus distinctio est retinenda, quam alibi innuimus, inter Missam solemnem (vel cantatam) et Missas privatas, cum ampliora illi quam his privilegia tribuantur.

154. Jam a pluribus sæculis mos erat apud Monachos ut, notitia accepta mortis alicujus confratris, quam quidem Abbas ad singula sibi subjecta Monasteria per litteras transmittebat, in his statim suffragia pro illius Defuncti anima persolverentur. Hinc dies illa, qua hæc suffragia obtinebant, dicta fuit dies *quasi-obitus*, vel etiam *pro die obitus*, [1] quæ tamen locutio nunc aliud exprimit, ceu vidimus n. 139. Inde, mos ille ad Capitula transivit, præsertim Cathedralia, ac dein ad Ecclesiam universam.

Nunc igitur in singulis Ecclesiis, etiam pluribus simul, postquam a quacumque, sive Congregatione, sive Sodalitate, sive etiam privata persona, accepta fuit notitia mortis alicujus fidelis in loco dissito, cujus cadaver ideo in loco præsens non est, celebrari potest, at pro una vice tantum, Missa solemnis, vel cantata, ut in die obitus, prima die quæ occurrit non impedita, prout vidimus in casu exposito n. 150 [2].

Diximus *prima die*, quæ occurrit etc.: si enim die, quæ primo occurrit libera ab impedimentis indicatis, ea Missa non celebretur, v. g., ut amici et familiares Defuncti invitentur, ut plures Sacerdotes queant inveniri, qui funebri Officio adsistant, etc., privilegium cessat, et dies exspectanda erit, quæ Missas omnes votivas permittat.

155. Insuper die tertia, septima, trigesima et in anniversariis stricte sumptis, una Missa solemnis,

1) Ita **Al. A. Carpo.** *Comp. Biblioth. Liturg. P. I. n. 44.*
2) S. R. C. Decr. Gener. 2 Dec. 1891, n. 3755, III.

vel cantata, permittitur in unaquaque Ecclesia, unde et in pluribus Ecclesiis simul, exceptis: Festis de præcepto; Duplicibus I. et II. classis; Octavis, feriis privilegiatis (cf. nn. 16, 17.) et vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes; Ecclesiis ubi est solemniter exposita Ss. Eucharistia et ubi Parochus debet Missam celebrare pro populo, vel Rogationum.

Attamen si anniversaria non tantum, sed etiam dies tertia, septima et trigesima, cum occurrunt, impediantur, ut supra, possunt transferri in primam diem ab iisdem impedimentis liberam, vel eodem modo anticipari. Diximus in *primam diem* liberam; secus privilegium perit [1].

156. « De speciali vero gratia permittitur, ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quæ a Religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus, aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent; nec non illa, quæ pro fidelium pietate infra Octavam omnium Fidelium Defunctorum locum habent [2]. »

Hic, ut patet, agitur de anniversariis *late* sumptis (cf. n. 140), quorum celebratio permittitur, exceptis diebus illis, qui excipiuntur pro anniversariis stricte sumptis, et insuper diebus ritus Duplicis majoris.

Cum vero hæc permissio de speciali gratia sit facta, non debet extendi ad casus non expressos: quare sodalitates civiles v. g. a mutuo succursu, operariorum, etc., nisi in piam aliquam Confraternitatem sint constitutæ, iis privilegiis minime fruun-

1) S. R. C. Decr. Gener. 2 Dec. 1891 n. 3753, I. II. III.
2) S. R. C. Ibidem. V.

tur; idemque pariter dicendum est de illis sic dictis anniversariis, quæ pro alicujus Parœciæ Defunctis, ex stipe collata in Ecclesia, celebrantur, nisi id fiat infra Octavarium Defunctorum omnium.

157. Privilegia hucusque, in præsenti Capite, recensita Missas respiciunt solemnes vel cantatas, non vero privatas: hæ quippe, sine speciali concessione, nullatenus dici possunt, in casibus supra expositis, etsi pro Defuncto paupere res agenda foret, pro quo tantum in die vel pro die obitus Missa lecta permittitur, prout animadvertimus n. 149.

Diximus *sine speciali concessione*, quæ quidem facta fuit pro Missis, quæ leguntur in quolibet Sacello sepulcreti, seu cœmeterii erecti vel erigendi, ex Apostolico Indulto, si privatum est, et in ipsa Ecclesia vel publico Oratorio principali ejusdem cœmeterii. In hujusmodi locis, Missæ privatæ dici possunt non solum diebus privilegiatis, sèd etiam extra hos dies, dummodo tamen non occurrant ritus illi, qui in quavis Ecclesia Missam solemnem, vel cantatam, in anniversariis stricte sumptis prohibent [1]. (cf. n. 155).

Item eædem Missæ erunt una vel plures, juxta naturam loci in quo dicuntur, illarumque qualitas respondebit diei, quæ recurrit.

158. Demum, extra casum in præcedenti numero indicatum, Missæ privatæ, sive diebus privilegiatis in hoc Capite recensitis, sive extra illos, imo et solemnes, vel cantatæ, quæ quotidianæ sunt, prohibentur: In omnibus festis de præcepto; in omnibus Duplicibus; in Octavis feriis et vigiliis privilegiatis (cf. nn. 16, 17); ubi est expositum Ss. Sa-

1) S. R. C. Decr Gen. 19 Maji 1896, n. 3903; 12 Januar. 1897, n. 3944, ad I.

cramentum pro publica causa, nisi occurrat dies II. (vel III.) Novembris; ubi unica dicitur Missa, quæ debeat esse Rogationum [1].

Hac tamen in re solent peti et dari personis vel Ecclesiis particularia Indulta, celebrandi Missas sive solemnes, sive cantatas, sive privatas, pluries etiam in hebdomada, diebus quibus ipsæ de jure prohibentur.

Et in primis « Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII. ad levamen animarum, quæ in Purgatorio detinentur, S. R. Congregationi facultatem indulgere dignatus est, qua singulis petentibus S. R. E. Cardinalibus, Episcopis, aliisque Prælatis, quibus Oratorii privati privilegium de jure competit, permitti possit in eodem Oratorio unica Missa privata de *Requiem*, Defunctis applicanda, infra hebdomadam, diebus non impeditis a festo ritus. Duplicis quod jure translationis polleat, a Dominicis aliisque festis de præcepto servandis, necnon a vigiliis [2], feriis Octavisque privilegiatis; et servatis Rubricis [3]. »

Similia Indulta alias pro universa aliqua Diœcesi dantur, alias pro singulari Ecclesia. Tunc, ut patet, attendendum est ad tenorem concessionis.

159. Siquidem contingat Defunctorum Officium esse decantandum (quod tamen prohibetur iis diebus, quibus Missa de *Requiem* solemnis, vel cantata, cadavere præsente, vetita est) et exsequiales absolutiones esse peragendas, diebus Missas de *Requiem* prohibentibus, tum Officii decantatio, tum

1) *Miss. Rom. Rubr. Gener. Tit. V. n. 2.* S. R. C. Decr. Gener. 5 Aug. 1662, n. 1238; 28 Sept. 1675, n. 1549; 7 Maji 1746, n. 2390, ad IV.

2) Cf. dicta n. 129, nota 2.

3) S. R. C. 8 Junii 1896, n. 3915.

absolutiones erunt peragendæ ante Missam, quæ cantabitur, aut dicetur de festo occurrenti, applicando illam, si debet et potest, pro Defunctis, sed prius remoto tumulo [1], si commode id fieri potest, vel saltem cereis circa tumulum extinctis, dum Missa celebratur.

Cum parvulorum, rationis usu carentium, Exsequiæ fiunt, potest cantari vel dici Missa de festo occurrenti; imo et votiva de Angelis, quando Missæ omnes votivæ etiam privatæ permittuntur (cf. n. 106) [2].

CAPUT VI.

De Missis privilegiatis.

160. Agitur hic de privilegio Indulgentiæ plenariæ [3], quod RR. Pontifices ab antiquissima ætate sæpe adnexuerunt Missis celebratis, vel super determinatum Altare, vel a personis determinatis; idque favore potissimum Animarum piacularibus flammis addictarum, quarum quidem quo magis est lacrymabilis conditio, eo major ostenditur materna Ecclesiæ sollicitudo, ut quam citissime, omnibus exhibitis auxiliis, illas de suis pœnis eripiat et ad Christi desideratissimum amplexum restituat.

Privilegium, de quo loquimur, habet igitur intimam connexionem cum re nuper tractata; eo vel

1) S. R. C. 12 Julii 1892, n. 3780, ad VIII; 16 Febr. 1900, ap. *Ephem. Liturg.* an. 1900, pag. 453.

2) S. R. C. 8 Febr. 1879, n. 3481, ad II.; 30 Januar. 1880, n. 3510.

3) Cf. hac de re **Arato.** *Il S. Sacrificio della Messa. Appendice A.* et **Hilgers.** *Manuale d'Indulgenze, pag. 86, seqq.*

magis quod, quantum fieri datum est, Missa, cui hæc Indulgentia adnectitur, sit oportet de *Requiem*.

161. Duplex solet distingui hujusmodi privilegium, nempe *reale* et *personale*. Primum, quod est antiquius, adnectitur Altari, ita ut quilibet Sacerdos super ipsum celebrans, Indulgentiam plenariam applicare possit, modo universim, seu cuique ex Defunctis, modo cum limitatione, seu alicui jam pertinenti ad quemdam cœtum, v. g. Tertiariorum. Alterum conceditur personis, sive singularibus, sive prout sunt membra cujusdam Sodalitatis; in hoc casu personæ privilegiatæ, ubicumque celebrent, Indulgentiam plenariam applicare possunt Defunctis, vel universim vel cum limitatione, ut supra, Utrumque datur vel in perpetuum, vel ad tempus, et ita ut vel quotidie, vel aliquoties in hebdomada, eo frui liceat.

162. Altare, quod privilegio reali donatur, esse debet fixum, aut ad instar fixi [1] (cf. n. 26); et quamvis corruat et reædificetur, vel alibi transferatur, quousque eumdem titulum habet et in eadem manet Ecclesia, privilegium non perit [2]. Ecclesiæ autem, vel Oratoria etiam semipublica, habere possunt Altare privilegiatum, si sunt saltem benedicta [3].

1) S. C. Indulg. 27 Nov. 1764, n. 234, ad I.: 15 Dec. 1841, n. 295, ad III.

2) S. C. Indulg. 16 Sept. 1723, n. 84; 24 Apr. 1843, n. 317.

3) S. C. Indulg. 22 Apr. 1752, n. 193. Quæ neque sunt benedicta et Oratoria privata per se capacia sunt privilegii, at de stylo non conceditur. S. C. Indulg. 20 Mart. 1747. n. 162. Clemens XIII. P. M. statuit ut singulis Episcopis postulantibus concederetur ad septennium, deinceps, renovata postulatione, prorogandum, Indultum unius Altaris privilegiati in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus et Abbatialibus Nullius, ita ut, in Ecclesiis iisdem, nullius roboris censeretur privilegium alterius Altaris, eodem intuitu concessum. S. C. Indulg. 19 Maji 1759, n. 215.

Missam quod spectat, hæc esse debet de *Requiem*, si ritus eam permittit; quare hujus ritus dies sunt seligendi, infra singulas hebdomadas, ab eo qui personale privilegium habet per aliquot tantum vices. Quod si nulli, vel insufficientes habentur dies hujusmodi, vel, si qui sunt, adest in eis impedimentum solemnitatis, stationis, etc., Indulgentia applicatur etiam per Missam de die currenti [1].

163. Sacerdos qui ex multiplici titulo, puta qua sodalis plurium Congregationum, privilegio gaudet, omnibus concessionibus frui potest, nisi aliud caveatur in concessionibus ipsis, quo usus unius excludat alterius usum [2]. Attamen nonnisi unius Defuncti animæ applicari Indulgentia potest, licet pro pluribus Missa celebretur, et si nulla facta fuit determinatio animæ, non ideo inutile evadit privilegium, cum a Deo illa fiat [3].

Quæsitum fuit: « An Indulgentia Altaris Privilegiati separari possit ab applicatione seu fructu Sacrificii, quando Sacrificium est celebrandum pro Defunctis? — II. An eadem Indulgentia Altaris Privilegiati separari possit, quando celebratur Sacrificium pro vivis, ita ut Indulgentia prædicta applicari possit pro Defunctis ad libitum Celebrantis? — III. Quomodo intelligenda sit inscriptio, quæ reperitur in aliquibus Altaribus, hujus tenoris: *Altare Privilegiatum pro vivis atque defunctis?* ». S. Congregatio respondit: « Ad I. et II. Negative. Ad III. Interpretanda est ita, ut tam pro vivis, si in Altari, de quo agitur, Missæ Sacrificium pro

1) S. C. Indulg. 11 Apr. 1840, n. 281, ad II. et III.; 11 Apr. 1864, n. 404; 27 Nov. 1764. n. 234, ad III.
2) S. C. Indulg. 27 Maji 1839, n. 272.
3) S. C. Indulg. 19 Junii 1880, n. 451, ad II. et III.

vivis applicetur, quam pro Defunctis, si pro his S. Sacrificium applicetur, intelligatur concessa plenaria Indulgentia, pro vivis ad modum jurisdictionis, pro Defunctis ad modum suffragii [1]. » Perempta sic videtur tantopere exagitata quæstio de separatione applicationis Indulgentiæ, vi privilegii sive realis, sive personalis, ab applicatione fructus medii S. Sacrificii.

164. Huc revocatur etiam pia illa praxis consistens in celebratione triginta Missarum, quæ vulgo *Gregorianæ* dicuntur.

Originem habet a quodam facto S. Gregorii Magni, quo tempore ipse præerat Monachis in Monasterio Montis Cœlii. Factum est hujusmodi [2]: Cum monachus nomine Justus mortuus esset, S. Gregorius misertus est ejus status, quia fassus erat sese gravem offendisse regulam. Hinc Prætiosum monachum accersivit eique dixit : *Vade itaque ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium : stude ut nullus prætermittatur dies, quo, pro absolutione illius, Hostia salutaris non immoletur.* Post triginta dies Justus apparens fratri suo monaco Copioso, eique siscitanti quomodo se habere respondit : *Nuncusque male fui, sed jam modo bene sum ; quia hodie communionem recepi.* Fratres vero computaverunt dies, et ipse dies exstiterat, quo pro eo trigesima oblatio fuerat impleta.

Exinde fideles speciali devotione et fiducia cupere cœperunt ut Missæ pro suis Defunctis super Altare celebrarentur, quod in Ecclesia dicti Monasterii exstabat, quodque serius RR. Pontifices pluribus Indulgentiis, et potissimum plenaria, ditarunt.

1) S. C. Indulg. 25 Aug. 1897.
2) **S. Gregorius M.** *Dialogor.* L. IV. c. LV.

Postea et alibi Altaria erecta sunt, quæ dicta fuerunt *Gregoriana ad instar*, et iisdem privilegiis donata, quibus Gregorianum Montis Cœlii gaudebat.

Nullatenus autem differt privilegium Altaris Gregoriani a privilegio Altaris, de quo supra egimus, cum tota differentia sit in speciali fiducia, qua fideles retinent Sacrificium Missæ super illud celebratum magis acceptum iri Dei bonitati; quæ quidem fiducia, ut pia et rationabilis, ab Ecclesia probatur [1].

165. Sed insuper usus invaluit triginta Missas, vulgo *Gregorianas*, celebrandi, quæ praxis propriam aliquam Indulgentiam secum non affert, sed tantum specialem illam supponit fiduciam, quam antea vidimus inesse celebrationi super Altare Gregorianum peractæ. In eo igitur est praxis hujusmodi, ut per triginta dies continuos [2], sive ab eodem, sive a diversis Sacerdotibus, et etiam super diversa Altaria, quamvis non privilegiata, Missæ totidem celebrentur, de *Requiem*, ritu permittente, vel de die, eas applicando pro anima illa, cujus liberatio a pœnis Purgatorii imploratur [3].

Patet igitur aliud esse Missam celebrari ad Altare, quod *Gregorianum* vel *ad instar* dicitur, et aliud celebrari triginta Missas, quæ *Gregorianæ* nuncupantur. Utrumque potest simul componi, si nempe dictæ triginta Missæ celebrentur super Altare *Gregorianum*, vel *ad instar*; at necessarium hoc non est.

1) S. C. Indulg. 15 Martii 1884, ad II. et III.

2) Hanc continuitatem minime tollit interruptio necessario facienda in ultimo triduo Majoris Hebdomadæ.

3) S. C. Indulg. 14 Januar. 1889.

TITULUS VIII.

DE NONNULLIS MISSIS PARTICULARIBUS

CAPUT I.

De Missa Titularis, Patroni et Dedicationis Ecclesiæ.

166. Non unus est Auctorum consensus in notione tradenda *Titularis* Ecclesiæ alicujus: hunc enim modo a *Patrono* plane distinguunt, modo ceu unum et idem cum eo accipiunt [1].

At rectius, distinctio est facienda, ita ut Patronus intelligatur Sanctus a populo, consentiente Episcopo et S. Sede approbante, perpetuo electus tamquam peculiaris apud Deum intercessor alicujus loci, seu pagi, civitatis, provinciæ, regni, etc. Quare habentur locorum Patroni vel particulares, vel universales, prout peculiarem locum, vel totam ditionem respiciunt. Titularis autem intelligitur Sanctus, vel mysterium, vel res sacra, cujus nomen tribuitur determinatæ Ecclesiæ, idque ex privato etiam fundatoris, vel aliorum ad quos pertinet, arbitrio, quin tamen inde mutari possit [2].

Patronus igitur pertinet ad locum, Titularis ad Ecclesiam; primus e Sanctis tantum, vel Angelis potest eligi, alter etiam ex mysteriis, v. g. Ss. Tri-

1) Cf. **A. Carpo.** *Compend. Bibl. Liturg. P. I. c. VI. a. VII.*
2) S. R. C. 18 Febr. 1843, n. 2853, ad I. Ibi dicitur Contitularem inde adjici posse, R. Pontifice consentiente.

nitas, Ss. Sacramentum, vel ex rebus sacris, v. g. S. Crux; ille potest exsistere quin Ecclesiam habeat, cui sit ejus nomen impositum; hic nequaquam. Quod si Ecclesia nomen accipiat a loci Patrono, hic erit pro ea *Patronus Titularis*.

167. Ex Decreto Generali S. R. Congregationis [1], super festo Titularium, patet in quibusvis Ecclesiis et Oratoriis publicis, vel consecratis, vel solemniter benedictis, seu per formulam, quæ exstat in Rituali (cf. n. 21), etiam exsistentibus in Ædibus Episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, Domibusque Regularium [2], in respectivi Titularis die festo, Missas omnes ejusdem esse celebrandas, sub ritu Duplici I. classis, cum Octava.

Idcirco Missæ, tum solemnis, tum privatæ, celebrantur ritu festivo, cum *Gloria*, unica Oratione (nisi adjicienda sit Commemoratio occurrentis Dominicæ ex privilegiatis, vel feriæ ex majoribus), *Credo* et Evangelio S. Joannis, aut occurrentis Dominicæ, vel feriæ, ut supra, in fine.

At occurrente festo Titularis cum alio digniore, illud transferendum est, juxta Rubricas, et tunc die ipsa, a qua transfertur, potest Missa una votiva solemnis celebrari de Titulari eodem, siquidem et hæc non impediatur, prout exposuimus sub n. 112.

Dies autem, qui festum Titularis excludunt, sunt: Festa Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis, Assumptionis B. M. V., Nativitatis S. Joan-

1) S. R. C. Decr. Gener. 5 Junii 1899, n. 4025.

2) Quoad hæc Oratoria, negavit S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, ad XXXII, posse in iis festum Titularis proprio ritu celebrari, supponens Oratoria eadem, ut communiter contingit, nec esse consecrata, nec solemniter benedicta.

nis Baptistæ, S. Joseph, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum; festum Dedicationis Ecclesiæ propriæ; Dominicæ privilegiatæ I. classis; dies octava Epiphaniæ; dies infra Octavas Paschæ et Pentecostes; Vigiliæ Nativitatis Domini et Pentecostes: feriæ privilegiatæ (cf. n. 17).

Ubi Titulus Ecclesiæ est Ss. Salvator, pro illo peragitur festum Transfigurationis Domini, die VI. Augusti; ubi Titulus est Sancta Maria, absque ulla speciali denominatione alicujus mysterii, de quo festum peragitur celebratur festum Assumptionis B. M. V., die XV. Augusti [1].

Titulus Ecclesiæ Cathedralis colendus est eodem ritu ac supra diximus, ab universo Clero totius Diœceseos, at sine Octava a Regulari [2], et in Missis quæ dicuntur extra Cathedralem, sine *Credo* [3].

168. Patroni loci, ejusdem festo occurrente, nec impedito, Missa celebranda est in omnibus loci Ecclesiis, etiam Regularium, sub ritu Duplici I. classis, sed cum Octava a Clero Sæculari tantum. Quod si plures Patroni sunt æque principales, idem obtinet in singulorum festis.

Quoad Missam et quoad dies festum Patroni excludentes, eadem serventur quæ supra (n. 167) de Titulari diximus.

Regulares celebrant festum Fundatoris proprii Ordinis, pariter sub ritu Duplici I. classis, cum Octava.

169. Post Missam de Communi Sanctorum, exstat Missa *In Anniversario Dedicationis Ecclesiæ*, dicenda

1) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 2721, ad II.; 10 Martii 1787, n. 2529, ad I.
2) S. R. C. Decr. Gener. 9 Julii 1895, n. 3863, II.
3) S. R. C. 23 Martii 1709, n. 2189.

in omnibus Ecclesiis, quæ consecratæ fuerunt, non benedictæ tantum, tum die ipsa consecrationis, tum in hujus die anniversaria, ritu Duplici I. classis, cum Octava. At dies qui excludunt festum Titularis (cf. n. 167), festum Dedicationis pariter non admittunt, et hoc in aliam diem translato, poterit in die propria Missa votiva solemnis celebrari, juxta dicta n. 112.

Decretum fuit : « Quamvis fixa esse debeat illa dies anniversaria Dedicationis Ecclesiæ, quæ infra annum a consecratione recurrit; nihilominus Episcopo Ecclesiam consecranti jus inhærere, juxta decreta alias edita, aliam diem fixam, vel etiam Dominicam (dummodo in consecrationis actu) seligendi pro illius Anniversario quotannis solemnius celebrando : exceptis Duplicibus I. et II. classis universalis Ecclesiæ, nec non quibuscumque Dominicis privilegiatis, et Duplicibus I. classis Ecclesiarum particularium [1]. »

Ubi vero Indultum est ut uno eodemque die anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum loci celebretur, Missa respondens dicenda est non modo in Ecclesiis consecratis, sed etiam in benedictis et eodem ritu; in his tamen, contra ac in illis, occurrente eadem die festo Titularis proprii, hoc quidem celebratur, translato festo Dedicationis; eo quod istud in Ecclesiis tantum benedictis secundarium est.

170. Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis celebrandum est a Clero Sæculari, pariter sub ritu Duplici I. classis, sed in Civitate cum Octava, extra, sine ea ; a Clero Regulari Civitatis tantum, sub ritu Duplici II. classis, sine Octava [2].

1) S. R. C. Decr. Gener. 4 Febr. 1896, n. 3881, V.
2) S. R. C. 9 Juli. 1895, n. 3863, III. IV.

Missa in singulis casibus est festiva, et eo modo dicitur ac Missa Titularis vel Patroni, sed semper cum *Credo*, cum agatur de festo Domini (cf. n. 72).

CAPUT II.

De Missa in aliena Ecclesia.

171. Nomine *Ecclesiæ alienæ* venit quæcumque Ecclesia, sive propriæ, sive alterius Diœceseos, sive regularis, sive sæcularis, in qua Officium fit ab illo diversum, quod recitavit Sacerdos ad illam accedens Missam inibi celebraturus.

Olim non parum implicata erat quæstio de Missa in aliena Ecclesia celebranda, quum esset attendendum ad solemnitatem diei, ad diversitatem ritus et paramentorum coloris, ad specialem qualitatem Missæ, quæ esset cum cantu, vel lecta, parochialis, vel non, de Sanctis, vel de Beatis, etc.

Verum hodie res expeditior evadit; ex quo S. R. Congregationis Decretum facili regula omnem difficultatem penitus amputavit. Regula statuta, quæ nunc viget, est hujusmodi : « Omnes et singuli Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares, ad Ecclesiam confluentes, vel ad Oratorium publicum, Missas quum Sanctorum, tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent Officio ejusdem Ecclesiæ, vel Oratorii conformes, sive illæ in Romano, sive in Regularium Missali contineantur ; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis.

Si vero in dicta Ecclesia, vel Oratorio, Officium ritus Duplici inferioris agatur, unicuique ex Celebrantibus liberum sit Missam de *Requiem* peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria ; iis ta-

men exceptis diebus, in quibus præfatas Missas Rubricæ Missalis Romani, vel S. R. Congregationis Decreta prohibent [1]. »

172. Sequitur, Sacerdotem in Ecclesia aliena celebrantem, suum Officium negligere prorsus teneri, ideoque nihil ex eo addere posse in Missa; e contra, debere in omnibus ritum sequi, qui in ea Ecclesia proprius est. Regula non patitur exceptionem, ne favore quidem Regularium suum Calendarium habentium; qui si celebrent in Ecclesiis Monialium, quæ proprio carent, sequi debent Calendarium Diœceseos [2].

Nomine Oratorii publici intelligitur etiam quodcumque semipublicum (cf. n. 22), in quo, sive unus sive plures sint Sacerdotes eidem addicti, omnes, sive Sæculares, sive Regulares, sive extranei, debent in Missæ celebratione se conformare Calendario Diœceseos. Verum in Ecclesiis vel Oratoriis alicui Religiosæ Familiæ concreditis, juxta Calendarium ejusdem Familiæ proprium, si habeatur, est celebrandum [3].

Quod si Sacerdos, qui in aliena celebrat Ecclesia, in hac reperit Officium ritus Duplici inferioris, ideoque Missas votivas permittentis, celebrare potest Missam vel votivam quamcumque, vel de *Requiem*, vel de feria occurrente, imo et suo Officio conformem, in quo ultimo casu Missa erit festiva, non votiva [4].

1) S. R. C. Decr. Gener. 9 Julii 1895, n. 3862.
2) S. R. C. 3 Julii 1896, n. 3924, ad III; 17 Julii 1896, n. 3927, ad I.
3) S. R. C. 22 Maji 1896, n. 3910; 27 Junii 1896, n. 3919, ad XVII; 15 Dec. 1899, n. 4051, ad II.
4) S. R. C. 14 Martii 1896, n. 3892, ad V.; 24 Apr. 1899, n. 4020.

173. Etiam Missæ, quæ Religioso alicui Ordini fuerunt concessæ, et in ejusdem Missali tantum insertæ inveniuntur, legi possunt et debent in Ecclesia Ordinis illius, etiam a Sacerdotibus extraneis, sive Regularibus, sive Sæcularibus[1]; sed unusquisque Celebrans ritum suum in Missa dicenda servare debet, non proprium Ordinis usurpare. Idcirco Sacerdoti ritus Romani licet in Ecclesia Ordinis Prædicatorum, horum Missas dicere, at cum cæremoniis propriis ritus Romani, non vero Ordinis illius, quæ, ut omnes norunt, in pluribus diversæ sunt.

Excipitur tamen casus, quo Missa, quæ in Ecclesia diversi ritus celebratur, est solemnis, vel Conventualis, aut Parochialis cum cantu; tunc quippe ritum Ecclesiæ sequi oportet. Sane, quæsitum fuit: « I. Sacerdotes Ritus Romani celebrantes in Ecclesiis Ritus Ambrosiani, quodnam Calendarium sequi debent? II. Ipsi Sacerdotes, celebrantes aliqua vice Missam Parochialem in iisdem Ecclesiis, sequi debent Calendarium et Ritum Ambrosianum, aut Calendarium et Ritum Romanum? III. Et quatenus affirmative ad primam partem, quæritur: An hoc valeat etiam pro Regularibus, qui ex præcepto gravi Constitutionum tenentur ad Ritum Romanum? » S. R. Congregatio respondit: « Ad I. Servent Calendarium Ritus Romani Diœceseos, dummodo diebus solemnioribus localibus, ex. gr. Titulus vel Dedicatio Ecclesiæ, Patronus præcipuus

1) Quare Præfatio propria Franciscalium, dicenda est ab omnibus qui in horum Ecclesiis celebrant; sed ab iis qui ad Ordinem illum non pertinent, non est addenda in *Confiteor* mentio B. Patris Francisci. Præfatio enim spectat ad proprium Missæ, non vero *Confiteor. Monit. Eccl. Ser. I. Vol. X. P. II. p. 20.*

loci etc., se conforment quoad colorem et Missam Calendario Ecclesiæ, in qua Sacrum faciunt. Ad II. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam. Ad III. *Affirmative* in casu [1] ».

CAPUT III.

De Missa in Oratoriis privatis.

174. Quæ sint privata, seu domestica Oratoria, et quo jure liceat in iis Missam celebrare, innuimus jam sub Tit. III Cap. I.

Hic addimus, nullum Sacerdotem, qui personale Oratorii privati Indultum non habet, posse in aliquo ex Oratoriis hujusmodi celebrare, nisi vocetur ab aliquo Indultario, eoque præsente Sacrum faciat. Excipitur casus, quo Viaticum sit ad moribundum deferendum et dificillime possit illud deferri ab Ecclesia [2].

Missa una tantum quotidie celebrari potest, nisi plures expresse concedantur, vel festum sit Nativitatis Domini, quo tres ab uno eodemque Sacerdote dici possunt; et cum de privilegio agatur, quod est contra legem, ideoque stricte accipiendum, censemus Missam lectam esse debere, minime cantatam vel solemnem.

Item dies quidam solemniores excipi solent et tamquam excepti subintelligi debent, nisi contrarium in Indulto exprimatur, quibus Missa in privatis Oratoriis prohibetur. Hi autem dies illi sunt, qui in Cæremoniali Episcoporum tamquam solemnio-

1) S. R. C. 10 Januar. 1902, ap. *Ephem. Liturg.* an. 1902, pag. 5.
2) S. R. C. 27 Aug. 1836, n. 2745, ad VII.

res designantur, sed tantum qui de præcepto servantur [1], scilicet; *ex festis Domini*: Nativitatis, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Ascensionis; *ex festis Deiparæ*: Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis, Assumptionis; *ex festis Sanctorum*: S. Joseph, Ss. Ap. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, Titularis Ecclesiæ Parochialis, si festum de præcepto secum habet, et Patroni præcipui loci.

Translata solemnitate una cum Officio et Missa in diem aliam, etiam prohibitio celebrandi in privatis Oratoriis transfertur: alterutro tantum translato, prohibitio cessat prorsus [2].

175. Missa, quæ in his Oratoriis [3] celebratur, cum hic non applicetur regula in Capite præcedenti tradita, debet esse conformis Officio Celebrantis, et, ritu, juxta ipsius Calendarium, permittente, potest esse votiva, vel de *Requiem*.

In Oratione *A cunctis*, quando hæc occurrit, exprimitur nomen Patroni loci, non vero Titularis Oratorii (hic enim haberi jure nequit, cum Oratoria privata, saltem in præsenti, nec consecrata, nec benedicta solemniter esse possint), neque Titularis Parœciæ, intra cujus limites Oratorium situm est (cf. n. 65).

Collectæ imperatæ, quando sunt dicendæ, non omittuntur; et illæ sunt, ut censemus, quæ ab Episcopo loci, in quo exstat Oratorium, præscribuntur. Pariter non debent omitti preces præscriptæ a Leone XIII. post Missam.

1) *Cæremon. Episcopor. L. II. c. XXIV. n. 2.* S. R. C. 10 Apr. 1896, n. 3896.

2) S. R. C. 6 Martii 1896, n. 3890, Dub. I. ad I.

3) Idem valet pro Cappellis, quæ, præter principalem, in Domibus Religiosorum exstant (cf. n. 23).

CAPUT IV.

De Missa coram Ss. Sacramento exposito.

176. Ad Altare, ubi solemniter, seu in Ostensorio, expositum est Ss. Sacramentum, Missam celebrare non licet, ea tantum excepta, quæ pro illo reponendo permittitur, absoluta adoratione XL Horarum [1] (cf. n. 113).

Ex necessitate tamen, vel gravi causa, aut Indulto [2], dari potest quod et aliæ Missæ, sive solemnes, sive privatæ, dicendæ sint ad illud Altare, et in tali casu hæc observentur:

1) Celebrans et Ministri debent duplici genu flectere in primo accessu ad Altare et in recessu ab eo; unico tantum genu intra Missam [3]: et hanc alteram genuflexionem agere oportet quoties a medio Altaris ad latus, vel a latere ad medium transitus fit, item antequam Celebrans convertat se ad populum et cum denuo ad Altare se convertit.

2) Incensationes Oblatæ, Altaris et Ministrorum fiunt, prius data benedictione incensi, more solito: sed loco Crucis, quamvis hæc super Altari exstet, incensatur, duplici ictu in triplici ductu, Ss. Sacramentum, genibus flexis super gradum supremum.

3) Osculum manus Celebrantis omittitur tantum dum a Diacono incensum porrigitur, vel thuribulum traditur, non in reliquis, quando illud præscribitur.

1) S. R. C. 13 Junii 1671, n. 1421, ad V.
2) S. R. C. 11 Maji 1878, n. 3448, ad I.
3) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, ad XLIX.

4) Celebrans, dum thurificatur et ad *Lavabo*, stare potest in plano Presbyterii, aut in supremo Altaris gradu, juxta consuetudinem; dummodo caveat, ne terga vertat Sacramento [1]. In purificatione autem Calicis minime descendit.

5) Convenientius Celebrans et Ministri non accedunt ad scamna, ut sedeant; quod si, ob cantus diuturnitatem, stare nequeunt, sedere non prohibentur, sed caput detectum habeant.

6) Sicubi mos est ad Evangelium Missæ, coram Ss. Sacramento celebratæ, verbum Dei prædicandi, tolerari id potest, apposito tamen velamine ante Ss. Sacramentum, durante concione [2].

177. Hæc quoad ritus. Ad Missæ qualitatem quod attinet, adnotamus:

1) Missæ de currenti Officio celebrantur, addita semper Collecta Ss. Sacramenti in omni Missa solemni, vel cantata, quæ celebratur ad Altare ubi Sacramentum est expositum, et quidem in festis ritus Duplicis I. et II. classis et in Missis, quæ unam tantum Orationem admittunt (cf. n. 65), sub unica conclusione, vel post Commemorationem, si quæ occurrit; in aliis casibus, sub conclusione distincta, post Commemorationes et ante Collectas imperatas [3].

2) In Missis privatis ad quodcumque Altare, et in cantatis ad aliud quam ad Altare expositionis, prædicta Collecta addi potest, et in Oratione XL Horarum debet, post alias Commemorationes, quando non occurrunt festa ritus Duplicis I. et II. classis,

1) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, ad XLVIII.
2) S. R. C. 10 Maji 1890, n. 3728, ad II.
3) S. R. C. 23 Junii 1736, n. 2323, ad I.

vel dies, cuius Missa unam tantum Orationem admittit, ut supra [1].

3) Decet, cum ritus permittit, Missas privatas celebrare votivas de Ss. Sacramenento, juxta regulas suo loco traditas (cf. nn. 106, 107).

4) Declaratum fuit: « Commemorationem Ss. Sacramenti, ob identitatem mysterii, solummodo omittendam esse in festis Passionis, Crucis, Ss. Redemptoris, Ss. Cordis Jesu et Pretiosissimi Sanguinis [2]. »

5) Durante expositione Ss. Sacramenti, Missas de *Requiem* ad nullum Altare fas est celebrare [3], si diem excipias II. (vel III.) Novembris, qua Missæ, pro Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, dicuntur cum paramentis violaceis (cf. n. 41).

CAPUT V.

De Missa privata coram Prælato vel Principe.

178. Si quando Missam celebrare contingat, præsente aliquo ex magnis Ecclesiæ Prælatis, quales sunt R. Pontifex et Cardinales in quolibet loco, Nuntii Apostolici, Patriarchæ, Archiepiscopi et Episcopi in loco suæ jurisdictionis, qui veste suæ Dignitatis propria induti accedunt, etiam ad Ecclesiam Regularium exemptorum, quidam ritus sunt servandi, quos passim exponit Missale Romanum [4]. Eos tamen prætermittimus, qui R. Pontificis præsentiam supponunt, quum ad praxim minus conferant.

1) S. R. C. 7 Aug. 1880, n. 3517.
2) S. R. C. 3 Julii 1896, n. 3924, ad IV.
3) S. R. C. 7 Maji 1746, n. 2390, ad IV.
4) *Miss. Rom. Ritus serv. in celebr. Missæ Tit. III. nn. 2, 8, 11; Tit. VI. n. 5; Tit. X. n. 3; Tit. XII. nn. 3, 5.*

179. Hora opportuna, Sacerdos celebraturus Prælatum advenientem exspectat ad Altare, in plano, illique, cum pervenerit, profunde se inclinat, ac dein conversus ad cornu Evangelii, ne terga Prælato vertat, si hic in medio consistit, præmissa reverentia, aut genuflexione, Missam incipit. Si autem Prælatus jam præsens adstat, ut contingit cum ipse, postquam Missam celebravit, in medio, vel prope Altare se sistit, ut gratiarum peragat actiones, Sacerdos celebraturus e Sacrario egressus profunde se Prælato inclinat, capite tecto; dein conversus ad Altare, sed extra medium, capite detecto et reverentia de more facta, ascendit ad Calicem deponendum et Librum aperiendum. Inde in planum descendit, et denuo facta reverentia tum Prælato, tum Cruci, vel Ss. Sacramento, incipit Missam.

Cum recitat *Confiteor,* non dicit: *vobis fratres... et vos fratres*, sed *tibi Pater.... et te Pater*, hæc verba versus Prælatum proferens, et quidem numero plurali, si plures, paris dignitatis, Prælati adsint. Antequam Altare ascendat, denuo Prælato se inclinat.

Evangelio lecto, non osculatur Missale, neque verba hic dicenda profert, sed illud osculandum a ministro ad Prælatum defertur, nisi plures paris dignitatis adsint Prælati; tunc quippe a nullo, neque ab ipso Celebrante, osculum datur. Pariter ad *Agnus Dei*, dicta prima ex tribus Orationibus, Celebrans osculatur Altare, ac dein instrumentum pacis, dicens: *Pax tecum*, illudque minister, dicto: *Et cum spiritu tuo*, osculandum [1] præbet Prælato, vel Prælatis, juxta ordinem dignitatis.

1) At in Missa de *Requiem* neque Missale, neque instrumentum pacis osculandum traditur.

In fine, ad benedictionem, antequam eam impertiatur, ad Prælatum conversus, profunde ad eum inclinat, quasi veniam populo benedicendi ab eo petens, et mox, aliquantulum recedens ad cornu Evangelii, fidelibus benedicit et continuo recitat, more solito, ultimum Evangelium. Quo expleto, ibi stans, profunde se inclinat Prælato, exspectans ejus discessum; secus, ad medium accedens, Calice accepto, descendit, inclinat, vel genuflectit de more, sed extra medium, caput operit, factaque Prælato reverentia, regreditur in Sacrarium.

180. Si Prælatus, qui præsens est, non versatur in loco suæ jurisdictionis, ei debetur reverentia a Celebrante, dum hic accedit ad Altare ab eoque recedit, atque osculum instrumenti pacis. Cætera omittuntur, ac si ille præsens non esset. Excipitur tamen Episcopus, qui, extra locum suæ jurisdictionis, Missæ adsistit in Oratorio privato; quo casu omnia sunt præstanda, quæ supra memoravimus.

181. Præsente sæculari Principe, quo nomine venit Imperator, aut Rex, aut summus Magistratus civilis, eodem modo ac cum magnis Prælatis se geret Sacerdos celebrans Missam, iis tamen exceptis: 1) Ad *Confiteor* non mutat verba; 2) ad Evangelium osculatur Missale, dum aliud diversum osculandum Principi exhibetur; 3) benedictionem in fine impertitur etiam Principi, nulla ei prius reverentia facta [1].

1) Principes et summi Magistratus civiles, extra presbyterium sedem habere debent; at Imperatores et Reges, propter eorum consecrationem, aut saltem specialem dignitatem, intra presbyterium consistere possunt. Cf. *Cæremon. Episcop. L. I. c. XIII. n. 13* et *Ephem. Liturg.* an. 1901, pag. 238.

APPENDIX

De Auctoritate Cæremonialis Episcoporum.

182. In Rubricis explicandis, quæ Missalis sunt propriæ, sæpe recurrunt Liturgistæ ad codicem alium, qui *Cæremoniale Episcoporum* inscribitur. Ne autem hujus auctoritas parvipendatur, cum ad Sacerdotales functiones ordinandas ipsius regulæ applicantur, quæ, si ad Libri inscriptionem attendimus, functiones tantummodo Episcopales respicere videntur, aliquid hic innuimus, quo hujus codicis vis, omnes ecclesiasticos viros obligandi, innotescat [1].

183. Equidem nullum esse dubium potest, quin a RR. Pontificibus, quorum jussu Cæremoniale Episcoporum recognitum et emendatum prodiit, hujus propositio obligatorio modo facta fuerit. Quod sane cuilibet legenti Bullas Apostolicas, eidem codici præfixas, certo certius palam fit. Sunt autem istiusmodi Bullæ RR. Pontificum Clementis VIII., Innocentii X., Benedicti XIII. et Benedicti XIV, quorum verba, præter amplissimas Cæremonialis laudes, id habent commune, ut, quod in illo continetur, *in universali Ecclesia.... perpetuo observandum esse*, præcipiatur et mandetur.

Accedit S. R. Congregationis non semel prolata sententia, de obligatione, quæ omnes urget Eccle-

1) Optime consulitur dissertatiuncula, quam hac de re edidit D. **Joachim Solans,** Cæremon. Mag. in Eccl. Cathedr. Urgellensi. (an. 1887).

sias et ecclesiasticas personas, etiam Regulares, observandi præscripta Cæremonialis, illique contrarios extinguendi abusus [1], necnon clariorum Liturgistarum, eorum præsertim, qui ejusdem codicis Rubricas explanarunt [2], auctoritas.

184. Ex citatis Bullis, ex responsis S. R. Congregationis et Auctorum sententiis, etiam deducitur Cæremonialis observantiam non tantum Episcopis Prælatisque usum Pontificalium habentibus imponi, sed omnibus Sacerdotibus; neque in Ecclesiis solummodo Cathedralibus ad illius Rubricarum normam functiones sacras esse exigendas, sed in inferioribus quoque Ecclesiis, quamvis in illis, propter assiduam Episcopi præsentiam, ejusdem codicis usus frequentior sit.

Etenim clara nimis sunt verba, quibus S. R. Congregatio edixit: « Ad Cæremonialis Episcoporum observantiam, juxta Apostolicas Constitutiones, teneri omnes Ecclesias, præcipue autem Metropolitanas, Cathedrales et Collegiatas » [3]. Quæ verba consonant illis, quæ leguntur in Bullis Clementis VIII. et Innocentii X. Et ad propositas quæstiones, quæ ritus in Ecclesiis Parochialibus, vel Regularibus, servandos respiciebant, eadem S. R. Congregatio respondit standum esse præscripto Cæremonialis Episcoporum [4]. Quare expositores Rubricarum Missalis, quas in omnibus Ecclesiis observari debere

1) Cf. potissimum S. R. C. 10 Januar. 1604, n. 154; 19 Aug. 1651, n. 937, ad IV. et V.; 10 Junii 1656, n. 1015; 17 Aug. 1894, n. 3839, ad I. II. et III.

2) Eminent **Catalani, De Herdt,** et alii apud **Fumagalli.** *Manuale etc. L. II. v. Rubricæ.*

3) S. R. C. 17 Aug. 1894, n. 3839, ad I.

4) S. R. C. 19 Aug. 1651, n. 937, ad IV. et V.; 30 Dec. 1881, n. 3535, ad I. et II.

inficiabitur nemo, eas, cum minus claræ evadunt, vel prorsus deficiunt, per Cæremonialis Episcoporum Rubricas interpretari, vel supplere solent; quod et nos non semel fecimus (cf. nn. 30, 52, et. 146)

185. Demum adnotare præstat, consuetudines, quæ sint laudabiles, rationabiles et immemorabiles, adhuc sustineri contra dispositiones Cæremonialis Episcoporum. Ait enim S. R. Congregatio: « Cæremoniale abusus tollere, non autem immemorabiles consuetudines, maxime si consuetudo immemorabilis legitime præscripta sit »[1]. Quod si aliquando consuetudines contrariæ reprobantur, id obtinet cum ipsæ indicatis destituuntur conditionibus.

1) S. R. C. 10 Januar. 1604, n. 154. Cf. etiam S. R. C. 16 Julii 1605, n. 184; 25 Sept. 1852, n. 2998.

Animadversio super Decreto S. R. C. 3 Aug. 1901. *Romana.*

Per Generale Decretum super Oratoriis semipublicis, quod S. R. Congregatio edidit die 23 Januarii 1899, n. 4007, declaratur:

« Oratoria semipublica ea esse, quæ etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen non Fidelium omnium, nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicuius communitatis vel personarum cœtus inserviunt. In his, sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missæ Sacrificium offerri potest, ita omnes qui eidem intersunt, præcepto audiendi Sacrum satisfacere valent. Hujus generis Oratoria sunt quæ pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendæ destinata; ad Nosocomia, Orphanatrophia, necnon ad Arces et Carceres; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adiungi debent Cappellæ, in Cœmeterio rite erectæ, dummodo in Missæ celebratione non iis tantum ad quos pertinet, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat. »

Deinceps a Rmo Secretario Vicariatus Urbis supplex libellus exhibitus fuit S. R. Congregationi, hujus tenoris:

« Il Segretario del Vicariato in Roma, rispettosamente espone alla S. Congregazione dei Riti quanto segue: Don Carlo Maria Busch, avendo fissa dimora nella villa Silvano di sua proprietà fuori porta S. Pancrazio, sulla via Aurelia Antica a tre chilometri dalla Città, ha eretto nel pianterreno della casa un Oratorio ornato e decorato con gusto. Questo Oratorio ha l'ingresso in un ampio piazzale dove si può giungere dalla pubblica via penetrando nella villa e risalendo

un viale fiancheggiato da vigneti. Considerando ora che esso é situato tra la Basilica di S. Pancrazio e la Chiesa di S. Maria delle Fornaie e che per la distanza di queste Chiese molti villici ed operai dei dintorni non possono ascoltare la S. Messa nei giorni festivi, l'esponente domanda se, per la comodità ed il vantaggio spirituale di quella popolazione, dietro anche le vive raccomandazioni del loro parroco, Sua Eminenza Rma il Card. Vicario potrebbe dichiarare detto Oratorio semipubblico, basandosi sul Decreto 23 Gennaio 1899 emanato dalla S. C. dei Riti, e propriamente sulla clausola: » *atque similia Oratoria in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam* » [1].

Porro S. R. Congregatio hoc edidit responsum:

« Romana. Instante Rmo Dno Secretario Vicariatus in Urbe et referente subscripto a Secretis, Sacra Rituum Congregatio adhærens voto Commissionis Liturgicæ, rescribendum esse censuit, particulam Decreti Generalis super Oratoriis semipublicis N. 4007 diei 23 Januarij 1899 — *atque similia Oratoria in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam* — intelligi posse de quibuscumque fidelibus, qui assentiente Domino loci et Ordinarii auctoritate interveniente, accedant ad prædicta Oratoria pro audienda Missa etiam in adimplementum præcepti festivi. Atque ita rescripsit die 3 Augusti 1901. Ita reperitur in Actis ac Regestis Secretariæ Sacrorum Rituum Congregationis hac die 18 Octobris 1901.

Pro R. P. D. DIOMEDE PANICI *Archiep. Laodicen. Secret.* »
PHILIPPUS CAN. DI FAVA, *Substitutus.*

Ephemeris *Il Monitore Ecclesiastico* quæ Romæ editur, hoc responsum palam fecit mense Octobris 1901, et hunc præposuit ei titulum:

« Anche i Privati Oratorii, nei quali suol convenire un qualche numero di fedeli, per ascoltare la S. Messa, possono considerarsi come semipubblici; e il Vescovo può permettervi la celebrazione del S. Sacrifizio. »

1) Exemplar authenticum hujus postulationis, comiter ad nos transmisit Rmus D. Secretarius Vicariatus Urbis.

Et in nota addidit:

» Si noti quanto sia interessante questa dichiarazione. Purchè un qualche numero di fedeli intervengano ad un Oratorio privato, il Vescovo ha diritto di permetterne la erezione e la celebrazione della S. Messa, da valere a tutti nei dì festivi, in soddisfazione del precetto [1]. »

Verum *Ephemerides Liturgicæ*, quæ pariter Romæ eduntur, Decretum super relatum interpretantes, in diversam abierunt sententiam, et titulum ab Ephemeride *Il Monitore Ecclesiastico* præfixum, cum subjecta nota, censura notarunt [2]. Sententia autem *Ephemeridum Liturgicarum*, ut paucis eam referamus, est, Decretum in *Romana* nullatenus ita esse intelligendum, ut Ordinarius loci permittere possit in Oratoriis *privatis* celebrationem et auditionem Missæ, si plures fideles ad ea conveniant, ut Sacro intersint, etiam in adimplementum præcepti festivi; sed ita ut in Oratoriis *semipublicis*, seu ad Communitates aliaque pia loca spectantibus, præter personas ad easdem Communitates et pia loca pertinentes, etiam alii fideles extranei possint, diebus festis, Sacrum audire et satisfacere præcepto, *assentiente* tamen *Domino loci*, *et auctoritate Ordinarii interveniente*. Rationes hujus sententiæ duæ potissimum indicantur, videlicet: 1. quia circa privata Oratoria nullum jus competit Ordinariis; quare ipsi permittere nequeunt fidelibus ut in illis Missam audiant, diebus festis, ad implendum præceptum; 2. quia Decretum Generale, cujus particula explicatur per Decretum in *Romana*, agit de Oratoriis *semipublicis*; quare de his tantum intelligenda est data explicatio.

1) *Il Monit. Eccles. Sez. II. Vol. III. pag. 349.*
2) *Ephem. Liturg.* an. 1902, pag. 2.

Nos, qui Ephemeridis *Il Monitore Ecclesiastico* conclusionem recepimus et retulimus (cf. n. 22, nota 1), sequentia adnotamus:

1) Casus propositus a R.mo Secretario Vicariatus Urbis, quem supra exposuimus, erat de quodam Oratorio ad privatam personam, non autem ad Communitatem, pium locum, etc. spectante, et responsum in *Romana* datum fuit a S. R. C. instante eodem R.mo Secretario Vicariatus, qui casum illum proposuerat.

2) S. R. Congregatio noluit postulationi sibi factæ directe respondere, num scilicet E.mo Card. Vicario liceret Missæ celebrationem et auditionem permittere, nec ne, ut in casu; sed potius explicuit sensum particulæ Decreti Generalis, cui postulatio innitebatur, ut ex data authentica explicatione E.mus Card. Vicarius deduceret quid sibi liceret, vel non.

3) Idem E.mus reapse deduci posse existimavit sibi jus factum esse permittendi in dicto Oratorio celebrationem et auditionem Missæ, ita ut omnes fideles in eo facerent satis præcepto festivo. Certo enim scimus illo jure eum usum fuisse, Missam permittens in exposito, imo et in altero simili casu.

4) Dici potest in Oratorio de quo in casu, celebrationem Missæ jure permitti valuisse, tamquam in Oratorio *publico*, quod Ordinarii facultates minime excedit. Attamen principium, quo nulla Ordinariis tribuitur potestas circa privata Oratoria, infirmatum haberetur si illa potestas versaretur circa hæc Oratoria privata, dum talia manent; secus, si in peculiaribus adjunctis, veluti ob accessum plurium personarum, declarentur ab Ordinariis semipublica, ita ut non amplius liceat fideles excludere, quousque ad privata, accedente, vel perdurante Apostolico Indulto, denuo reducantur.

5) Quod autem explicatio particulæ Decreti Generalis, intelligi debeat de Oratoriis, quæ ad Communitates spectant, prout *Ephemerides Liturgicæ* defendunt, ex eo dubitamus, quod in textu ipso Decreti aperte dicitur:

« In his (seu Oratoriis ad Communitates vel personarum cœtus pertinentibus) sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missæ Sacrificium offerri potest, ita omnes qui eidem intersunt, præcepto audiendi Sacrum satisfacere valent ».

Scilicet, ni fallimur, in his Oratoriis, quemadmodum in publicis, requiritur auctoritas Ordinarii ut Missa celebrari licite possit; verum ut *omnes* fideles (unde etiam non pertinentes ad Communitatem cujus est Oratorium) valeant Missam illam audire, diebus etiam festis, neque domini loci assensus, neque Ordinarii auctoritas exigitur, prout, e contra, expresse exigitur quoad Oratoria de quibus agit explicatio data per Decretum in *Romana*.

Rem igitur saltem obscuram dicimus, et quod a competenti auctoritate declaretur votum promimus.

A. M. D. G.

Correctiones et Additiones

Pag.	4,	nota 2,	linea	3 : post. v. *Vol. IV. adde : Tract. IX. c. II. ;* post *n. 238. adde : et Tract. X. Sect. IV. n. 355.*
»	26,		»	2 : qecenti, *corrige* : decenti.
»	41,		»	22 : nimus, *corrige* : minus.
»	61,		»	21 : locis (dictionis), *corrige* : loci (ditionis).
»	73,		»	13 : seperexstantibus, *corrige* : superexstantibus.
»	85		»	17 : post v. exstante, *ponatur* indicatio notæ 3.
»	»	» 2,	»	1 : ante v. Sacramentum, *ponatur* indicatio notæ 3.
«	100		»	12 : post v. Commemorationibus, *deleatur* indicatio notæ 2.
»	»		»	19 : post v. aliis, *ponatur* indicatio notæ 2.
»	111	» 2,	»	12 : *adde* : Et ob eamdem rationem excipitur festum Purificationis B. M. V. S. R. C. 27 Martii 1902, ad III., ap. *Ephem. Liturg.* an. 1902, pag. 291.
»	124		»	10 : sed, *deleatur.*
»	128		»	14 : Vigilia, *corrige* : Vigiliæ.
»	138		»	24 : habere, *corrige* : haberet.

Alia leviora per se patebunt.

Index Generalis

INDEX ALPHABETICUS
rerum notabilium
QUÆ IN INDICE GENERALI NON EXPRIMUNTUR

INDICANTUR NUMERI MARGINALES ET SIGNO ( ) NOTÆ.